Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/demagisteriovivo0000jvba

De

Magisterio vivo

et Traditione

OUVRAGES THÉOLOGIQUES

DU MÊME AUTEUR

De Magisterio vivo et Traditione. Volumen alterum : **Documenta**. 1 vol. in-8. Paris, Beauchesne.

Nature et Surnaturel, Élévation, Déchéance, État présent de l'Humanité. — *Troisième édition*. 1 vol. in-18 jésus. Paris, Beauchesne . . . . . **3** fr. **50**

Les Contresens bibliques des prédicateurs. 1 vol. in-12. Paris, Lethielleux . . . . . **2** fr. »

La foi et l'acte de foi, 1 v. in-12. Paris, Lethielleux. **2** fr. **50**

Marie, Mère de grâce, Mémoire présenté au Congrès marial de Fribourg, août 1902. Brochure in-8. Paris, Retaux. **0** fr. **60**

TYPOGRAPHIE FIRMIN-DIDOT ET Cie. — MESNIL (EURE).

De

Magisterio vivo

et Traditione

J. V. BAINVEL

LECTOR THEOLOGIAE IN FACULTATE CATHOLICA PARISIENSI

2/6
B161

Gabriel **BEAUCHESNE** & C^ie^, Éditeurs

ANCIENNE LIBRAIRIE DELHOMME & BRIGUET

117, Rue de Rennes, 117

Tous droits réservés.

1905

DÉPOT A LYON : *3, Avenue de l'Archevêché*

3395

IMPRIMATUR

Parisiis, die 24 maii 1905.

G. LEFEBVRE
V. g.

PRAEFATIO

Argumentum quod hic tractamus aliquando a theologis per partes ad alios tractatus adnectitur (ad tractatum *De Ecclesia*, *De fide*, etc.), aliquando in unum compingitur [1], quod ab aliis aliter inscribitur (*De verbo Dei scripto et tradito*, *De locis theologicis*, *De principiis*, *De traditione*, *De criteriis theologicis*, *Théorie de la connaissance surnaturelle*, *Logique surnaturelle*, etc.) : quae singulae inscriptiones aliquam argumenti valde complexi et multiformis partem potius quam totum argumentum repraesentant. Id nos *de magisterio vivo et traditione* inscribimus, ut utrumque significemus, et organum divinitus institutum transmittendi veritatem divinitus revelatam, et proprium hujus magisterii munus, quod est depositum fideî docendo transmittere, et fidei imponere doctrinam a Deo per Christum Ecclesiae commissam.

Porro hoc vel magisterium vel transmissio quid sit eo melius intelligitur quo magis concipitur ut viva vivae veritatis in Ecclesia praedicatio et professio. Haec est enim ratio magisterii vivi ut veritatem a mente in men-

1. Et quidem ita compingitur saepe connectione mere extrinseca ut in unum cocant, fere sub nomine *locorum theologicorum*, integri tractatus qui inter se in ceteris disparati, aliqua tantum sui se parte contingant, ut *De Ecclesia*, *De Scriptura*, etc.

tem transfundat, vel, ut accuratius dicam (nam veritas non proprie transfunditur aut transmittitur), ut virtute viventis in magistri mente veritatis vivax in mente discipuli gignatur veritas, eaque non solum memoriae commendata, sed ita assimilata, ut discipulus vere suam faciat veritatem quam didicit, credat prout edoctus est, agat prout edoctus est[1].

Sed doctrina haec divinitus tradita, per magisterium transmissa, etsi propria fit singulorum docendo et discendo, non desinit tamen esse bonum sociale, bonum communitatis, ut dicitur, christianae. Immo non docent eam magistri ut suam sed ut Ecclesiae, non fit propria discipulorum nisi ut communicatio boni socialis, thesauri Ecclesiae commissi. Unde fit ut locus proprius hujus doctrinae sit conscientia socialis Ecclesiae, quae, ut fit in socialibus, ita coalescit ex singulorum conscientia ut aliquid sit praeter summam conscientiarum ut sunt singulae.

Ea nunc innuisse satis est, quae paulatim clariora fient totam rationem tractationis nostrae meditanti; res enim propriae meditationis magis est quam explicationis extrinsecus acceptae. Sed innuere oportuit, utpote quae lucem toti tractatui affundant.

Mirabilem illum Ecclesiae docentis organismum, mirabilem illam christianae doctrinae in Ecclesiae conscientia vitam et ad singulos transmissionem, divinam illam magisterii oeconomiam investigare hic volumus, et ejus analysim instituere.

1. Cum dico *veritatem*, non intelligo tantum propositionem veram aut articulum fidei per modum sententiae expressum, sed quidquid habet rationem veri aut verum aliquo modo significat vel explicite vel implicite. Intelligo scilicet quidquid est objectum magisterii, res fidei et morum, facienda et credenda. Quanquam specialem respectum ad verum habet ratio fidei, doctrinae, magisterii.

Quod iis fere ducibus faciemus, qui totum hoc argumentum diligentius tractarunt, ut Franzelin, Scheeben, Didiot, non obliti eorum quoque qui aliquid ad illud contulerunt, ut Newman, Vacant, A. de la Barre, S. di Bartolo, etc. Omnia autem ad nostrorum temporum et earum quae nunc agitantur controversiarum rationes ita exigemus ut thetice magis quam polemice procedamus, res ipsas potius quam opinionum pugnas considerantes : transeunt enim opiniones et controversiae, manet rerum veritas. Quin etiam si quid veri et recti ab aliquo recentiore fortasse est allatum qui nec scholasticus ipse sit, nec semper in scholasticos aequus, non ideo respuendum duximus, nihil nos melius et utilius posse facere arbitrati, quam si thesaurum a veteribus acceptum recentiorum opibus augeamus.

Omnia autem quam potuimus brevissime complexi sumus, indicando et ostendendo scilicet potius quam explicando vel arguendo. Id enim in scribendo prae oculis habuimus, non tam ut librum ad legendum proponeremus, quam ut haberet magister quod declarando evolveret, discipulus quo ad audiendum et meditandum adjuvaretur. Quanquam legi etiam posse, non ab iis solum qui sciunt, sed ab iis quoque qui discunt, modo ipsi se adjuvent, putamus.

Bibliographica multa dedimus ; etsi non fuit nostrae intentionis in ea re nec omnia nec methodice, sed ea pro opportunitate tradere quae usui esse possent [1].

Textum vix ullum exscripsimus. Visum est enim docu-

1. Non tam ipsos fontes primarios veteresque auctores fere indicavimus quam recentiora, ex quibus ad veteres accedere facile est. Etsi autem solemus lectorem ad alios remittere, vel ut quid cuique debeamus appareat, vel ut plura de re possint legi, vel ut nostra cum ceteris comparandi adsit facultas, damus tamen ipsi breviter quidquid est necessarium.

mentis tomum suum integrum concedere, cum alias ob causas, tum quo melius appareret quid ipsa per se darent, citra omnem ejus qui scribit elaborationem.

Adjungetur ergo huic tomo alter, arto vinculo cum eo connexus, ut ejus complementum vix non necessarium, in quo praecipua quae ad hoc argumentum referuntur dabimus documenta biblica, ecclesiastica, patristica, alia etiam quae ex recentioribus usui fore visa sunt.

Utrumque libellum, vel potius utramque unius opusculi partem, B. Virgini Mariae, de qua « Verbum caro factum est et habitavit in nobis... plenum gratiae et veritatis », ipsa autem « conservabat omnia verba haec conferens in corde suo » — in quo ipsa et typum se Ecclesiae et exemplar fidelium et, ut ita dicam, hujus tractatus *ideam* exhibuit — exiguum amoris et pietatis pignus, offerimus, rogamusque ut iis prosit in quorum gratiam conscriptus est.

Parisiis, die 25 martii 1905,

In festo Annuntiationis.

DE MAGISTERIO VIVO

ET TRADITIONE

Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo. *Luc.* 2.19.

O Timothee, depositum custodi. *I Tim.* 6. 20.

Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum. Tertull. *De praescript.* c. 19.

Quodcumque satum est, hoc idem... excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur. Vincent. lirin. *Commonit.* c. 23.

PRAEAMBULA

1. **De re tractanda.** — Objectum tractatus est depositum fidei ut tale et ejus transmissio. Duo ergo potissimum quaeruntur, supposito scilicet facto revelationis :

1) *De ipso deposito,* quomodo efformatum sit, ubi inveniatur (in solis libris inspiratis an etiam alibi ?), num sit pro completo habendum;

2) *De depositi transmissione,* num Deus factam revelationem et in libris inspiratis conscriptam humanae custodiae et interpretationi totam permiserit, an Ecclesiae suae commiserit, eique adsistat ut et Scripturarum ipsarum et totius doctrinae revelatae custodi, interpreti, magistrae authenticae; num, quod consequens est, verbum Dei singuli ex libris sacris petere, an potius ex magisterio vivo accipere debeant.

3) Cum his tertium, ex rei natura conjungitur, *quid fiat ipsum depositum,* dum sic traditur et accipitur, dum humano

labore tractatur et scientifice investigatur, dum et in mentibus humanis per vivam cogitationem exprimitur et exterius per verba profertur; in quo et de scientia fidei et de munere rationis in fide sermo est.

In quo cum multa sint quae vel ad alios tractatus (de Scriptura, de Fide, de Ecclesia) vel ad alias disciplinas (ut sunt historiae revelationis, religionis, dogmatis) pertineant, nos ea solum fusius evolvemus quae et per se theologica sunt et alibi non traduntur; cetera paucis perstringemus.

2. **Locus hujus tractatus in theologia, et ejus connexio cum ceteris tractatibus.** — Hic tractatus ad *theologiam generalem* pertinet et quodammodo ad *fundamentalem,* in ordine scilicet *cognitionis per fidem,* atque ita a tractatibus particularibus differt; cum iis autem conjungitur, quatenus et iis dat firmitatem, et theoriam struit de locis theologicis quibus ipsi utuntur. Ad ceteros tractatus fundamentales ita refertur ut tractatum de Vera Religione omnino supponat, tractatum de Ecclesia partim supponat partim confirmet et compleat; cum tractatibus de Fide et de Ecclesia omnium artissime connectitur.

3. **Documenta ecclesiastica et patristica praecipua.** — Omissis documentis Scripturisticis, quae suo loco et afferentur et declarabuntur, haec sunt praecipua mentione digna : Tridentini Sessio 4, apud Denzinger, *Enchiridion,* n° 666, et confessio fidei Piana, E. 864, 867; Concilium œcumenicum VII, ibid. 245; Pii IX acta vel litterae non paucae, ibid. 1508, 1510-5, 1528, 1532; Concilii Vaticani Constitutio *Dei Filius,* c. 2, 3, 4, Constitutio *Pastor aeternus,* c. 4[1]. Ex Patribus huc referuntur potissimum : Irenaeus *Contra haereses* cum alibi saepe, tum, l. 3, c. 1-4, Migne 7.843-857, cf. Massuetii *Dissert.* 3, a. 1, 2, 3, Migne 7.243 sqq.; Origenes cum alibi, tum *De principiis,* Praef., Migne 11; Tertullianus, *De prescriptione,* Migne 2.9-74; Augustinus, *De doctrina*

1. De quibus cf. Granderath, *Constitutiones dogmaticae Concilii Vaticani,* Friburgi Brisgoviae 1892; Vacant, *Études théologique sur les Constitutions du Concile du Vatican,* 2 vol. Paris 1895 (de Const. *Dei Filius* tantum).

christiana, passim, Migne 34; *De utilitate credendi,* Migne 42; *De catechizandis rudibus* (practice), Migne 40; Vincentius Lirinensis, *Commonitorium,* Migne 50. Facundus Hermianensis, *Pro defensione trium capitulorum* (in causa particulari multa quae in genere valeant), M. 67.

N. B. — 1) Ex his opusculis duo longe ad nostrum scopum utilissima, Tertulliani *Praescriptionem* et Vincentii *Commonitorium,* edidit H. Hurter inter *Sanctorum Patrum Opuscula selecta,* t. 9, Œniponti 1870; item *De utilitate credendi,* t. 6, ibid. 1868. In Irenaeum et Tertullianum, cf. Freppel, *Saint Irénée,* leç. 19; *Tertullien,* leç. 27-29; in Irenaeum, A. Dufourcq, *Saint Irénée* (collection *Les Saints*), 1904; idem, *Saint Irénée* (collection *La pensée chrétienne*), 1904; in Tertullianum, A. d'Alès, *La théologie de Tertullien,* 1905; J. Turmel, *Tertullien* (collection *La pensée chrétienne*), 1905.

2) Documenta ecclesiastica afferemus secundum Denzinger, *Enchiridion symbolorum et definitionum* edit. 7 Wirceburgi 1895 (sub siglo E); aliquando secundum B. Gaudeau, *Libellus fidei,* Parisiis 1898.

4. **Auctores.** — Eminet inter Scholasticos Franzelin, *De traditione et Scriptura* (allegabitur editio altera Romae 1875, quae non differt a 3ª et 4ª, quantum nostra interest, nisi paginis). Multa utiliter Wirceburgenses t. 1, et maxime disput. 1, n. 58-78; disput. 3, n. 207-223, n. 229-249 (quos afferimus secundum editionem Parisiensem 1880); Kihn, *Encyklopädie und Methodologie der Theologie,* Friburgi Br. 1892; J. Schwane, *Dogmengeschichte,* Friburgi Br. 2ª edit. 1892 (gallice translatum a Belet et a Degert); Perrone et in *Praelectionibus* tractatu de Locis theologicis, et in libro polemico *Il protestantismo e la regola di fede* (gallice Paris 1854, 3 vol.); Möhler, *Symbolik,* p. 1, c. 5, maxime § 38-42, 44-51, 59-60 (gallice et anglice translatum); Kleutgen, *Die Theologie der Vorzeit,* maxime editio altera, Monasterii 1867-1874; Salvatore di Bartolo, *Nuova Esposizione dei criteri teologici.* Roma 1904 (cujus 1ª editio in *Indicem* relata erat); De Groot, *Summa de Ecclesia,* t. 2, quaest. 10, 17 sqq., Ratisbonae 1890; Palmieri, *De Romano Pontifice,* editio altera Romae 1891, § 21-47, p. 163-250, *De magisterio,* quod totum deest in 1ª editione. Inter tractatores *De Ecclesia,* Brugère, Parisiis 1878; Pesch, t. 1, Friburgi 1894. Rem polemice cum Protestantibus egerunt Bellarminus, *Controversia* 1, l. 3 et 4; Stapleton, *Prin-*

cipiorum fidei demonstratio, editio altera, Parisiis 1583; Valentia, *Analysis Fidei catholicae,* Ingolstadii 1585; Bossuetus non semel, cujus etiam videndus liber *Défense de la tradition et des Saints Pères;* Becanus, *De judice controversiarum,* Moguntiae 1616. Polemice item nuperrime, L. Billot, *De sacra traditione contra novam haeresim Evolutionismi,* Romæ 1904. *De locis theologicis* egregie Melchior Cano; ejusdem tituli librum nostris temporibus scripsit J. J. Berthier, Taurini 1888. *De divina traditione et Scriptura* L. De San, Brugis 1903.

Inter recentiores praecipue digni sunt quos consulas vel legas : Cl. Schrader, *De theologico testium fonte,* Parisiis 1878; Scheeben, *La dogmatique,* t. I, § 1-37, Paris 1877 (e germanico translatum); Newman, *An essay on the development of christian doctrine*, 9ª editio, Londini 1894 (minus scholastice quam proprie et sagaciter; gallice olim translatum 1846 et 1849, nuper per partes datum, cum contione Oxoniensi de eadem re, ab H. Bremond, collection *La pensée chrétienne*) : J. Didiot, *Logique surnaturelle subjective*, Paris 1891; A. de la Barre, *La vie du dogme catholique,* Paris 1898 (de quo vide J. Bainvel, *La vie du dogme d'après un livre récent*, *Études* 5 mai 1899). Breviter, sed dilucide, Vacant, *Le magistère ordinaire de l'Église et ses organes*, Paris 1887; Prunier, *Évolution régulière et immutabilité de la doctrine religieuse dans l'Église*, Paris 1899.

Placita Rationalistarum recentissima exhibent cum alii multi, tum praesertim Ad. Harnack, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, 3ª editio, Friburgi 1894, et A. Sabatier, *Esquisse d'une philosophie de la Religion*, 3e édition, Paris 1897; idem, *Les religions d'autorité et la religion de l esprit* (opus postumum), Paris 1903.

Eodem pertinent multa apud A. Loisy, *L'Évangile et l'Église*, 1902, et *Autour d'un petit livre,* 1903, de quibus quae scripta sunt longum est recensere. Ad rem nostram multa faciunt quae scripsit Blondel, *Histoire et dogme,* in *Quinzaine,* janvier 1904 et seq.

S. Thomas hoc argumentum separatim et ex professo non tractavit; sed et ipse toto suo opere doctrinam hanc ejusque

principia vel supponit vel affert, et multa sunt apud eum quæ ad rem faciant, ut 1, q. 1; 22, q. 1; *De Veritate*, q. 11; *In Boetium de Trinitate*, q. 2, etc.

5. **Brevis historia tractatus.** — Cf. Schwane, *Dogmeng.*, t. 1, § 75; t. 2, § 89-90; t. 3, § 111; t. 4, § 40-43; Klee, *Histoire des dogmes chrétiens*, 1re p. c. 6. trad. franc., t. 1, p. 151 sqq. Paris 1848; Freppel, l. c.; Kihn, l. c.; Turmel, *Histoire de la théologie positive*, Paris 1904, 2e partie, c. 1, p. 199.

Fundamenta tractatus jam in Evangelio, in Actibus, in Epistolis apostolorum habemus, et quidem non practice solum sed etiam theoretice, quatenus et viva praedicatione traditur doctrina divinitus accepta, et inculcatur necessitas obsequendi magistris authenticis cum in ceteris tum in ipso Scripturae usu, et rejicitur omnis doctrina nova. Eamdem doctrinam exhibent exhortationes Clementis et Ignatii martyris ad unitatem sub episcopis servandam et ad vitandos haereticos. Hanc et thetice exponunt et ea polemice utuntur contra gnosticos Irenaeus et Tertullianus, apud quos parum abest quin absolutam omnibus numeris tractationem de traditione invenias; nec minus diserte Clemens Alexandrinus, ubi doctrinam de gnosi orthodoxa jam adumbrat, aut Origenes, ubi omnia ad praedicationis ecclesiasticae normam exigit. Similia ceteri Patres cum practice, tum thetice pro opportunitate; similia potissimum Augustinus et dogmatice et polemice ac practice, contra Donatistas aut Pelagianos cf. Specht, *Die Lehre von der Kirche nach dem h. Augustin*, p. 187, 193, 313 sqq. Paderborn 1892; Portalié, article *Augustin* in *Dictionnaire de théologie*, t. 1, col. 2340, 2413); quorum vestigiis insistens Vincentius Lirinensis aureum illud *Commonitorium* conscripsit et data opera de ipsa dogmatis evolutione tractavit.

Media aetas vix quidquam novi in eo genere attulit, sed et antiquitatem diligenter sectata est, et armis iisdem usa est contra Catharos ac Waldenses quibus antiqui Patres contra Gnosticos ceterosque haereticos, et habitudinem rationis ad fidem accurate investigavit[1]. Veteri doctrinae nova lux novus-

1. Quae ad rem nostram sunt, apud Anselmum potissimum ac Tho-

que tractandi modus accessit cum contra protestantes ostendendum fuit nec sufficere Scripturam et eam esse Ecclesiae, et ea prius esse quodammodo magisterium vivum; ostendendum etiam quid singulis traditionis organis esset tribuendum, et distingui oportere inter divinas traditiones et humanas. Inter eos qui saeculo 16° et 17° in ea controversia eminuerunt et ad perficiendum hunc tractatum contulerunt, nominandi sunt Peresius de Ayala, Canus, Bellarminus, Perronius, Franciscus Salesius, Bossuetus, Veron : quos fere tractatores ad nostra tempora secuti sunt. Josephus de Maistre etsi quaestionem hanc non tractavit ex professo, multa habet in quibus vel ea quae passim a theologis tradebantur innovavit et vulgavit, vel novo lumine quosdam rerum aspectus illustravit, ut de evolutione dogmatis, ut de analogiis naturalibus magisterii divinitus instituti. Möhler cum sagaciter comparavit inter se utrumque systema, catholicum et protestanticum, tum conscientiam Ecclesiae socialem in bono lumine collocavit. Scientificam totius argumenti tractationem, a Kilbero inchoatam, promovit cum speciali respectu ad errores de mutua fidei et rationis habitudine Perrone, docte et solide compegit Franzelin.

Subtiliorem rerum quarumdam inquisitionem et magis intimam exhibet Scheeben, dum habitudinem Ecclesiae docentis ad ecclesiam discentem, dum vim intimam Spiritus sancti ad externum magisterium adsistentis inquirit, dum ordinem fidei ad Scripturam et ad magisterium declarat. Rem fere eamdem J. Didiot et nove ut theoriam cognitionis supernaturalis ac scientiae de veritate revelata concepit, et consequenter expolivit. Interea Newman internam ipsam evolutionem dogmatis ut ideae divinitus revelatae ejusque principia ac leges considerabat viamque iis sternebat qui progressum dogmatis cum progressu et evolutione systematis alicujus philosophici aut scientiae essent comparaturi. Quod et Rationalistae in suis theoriis de dogmatis evolutione efficiunt, ut Harnack et Sabatier, sed ita illi quidem ut et objectivam ideae veritatem et ejus sub variis formis aut formulis identitatem

mam, paucis complexus est J. V. Bainvel. *L'idée de l'Église au moyen âge*, in *Science catholique*, février 1899, octobre 1899.

substantialem pessumdent; et Catholici ita admittunt ut dogmatis ipsius, tanquam rei cujusdam verae, veritatem, veram ejus cognitionem aliquam in Ecclesia stabilem, auctoritatem Ecclesiae divinitus docentis sanctique Spiritus perpetuam assistentiam propugnent.

Cf. G. Goyau, *Le Vatican,* ch. 4, § 4, t. 1, 159-167 (édition in-12); J. V. Bainvel, *Un siècle,* c. 30 initio, et *L'Église, évolution du dogme, Études,* janvier 1897; maxime A. de la Barre, *La vie du dogme*, Avant-propos.

6. **Quanti momenti sit tractatus.** — Res vel ex dictis intelligitur. Quod idem apparet, sive rem polemice spectes contra Protestantium aut Rationalistarum placita et fidei et historicae veritati contraria, sive inquiras de alicujus dogmatis historia a prima revelatione usque ad nostra tempora, sive critice — hoc enim neque illicitum, si recte fiat, et aliquando necessarium est — de ipsa theoria cognitionis christianae agas, sive leges evolutionis quantum hic quoque valeant velis inspicere. Etenim cum omnis scientiae et theoria et historia jucunda simul est atque utilis, tum maxime ejus scientiae qua dogmata illa quae sunt fidei nostrae nostrique amoris ac vitae objectum, fomentum, regula, quomodo sint a Deo dicta, et a majoribus nostris credita, qua ratione ad nos pervenerint, quomodo adoleverint et in mentibus vixerint, quomodo « spiritus et vita » fuerint. Adde multa esse in iis rebus vel quibus acatholici contra nos abutantur, vel in quibus ipsi catholici haereant dubii, quid concedere evolutioni historicae debeant, quid stabile et secundum principia fidei immutabile decernant, quid tandem in rebus fidei rationi, humanae industriae, factis contingentibus permittant.

7. **Ratio et divisio tractationis.** — Res partim polemice, partim thetice agetur.

Polemice et quasi *in genere* contra Protestantes ostendemus :

1) Verbum Dei non sola Scriptura contineri sed etiam traditionibus non scriptis (per scriptores sc. inspiratos);

2) Quod caput est controversiae, non solam Scripturam

regulam esse fidei, sed institutum esse divinitus magisterium vivum quo Scriptura ipsa conservaretur et authentice declararetur, a quo praecipue repetenda esset et accipienda doctrina revelata.

Cetera *thetice et in concreto :*

1) Quinam sint magistri authentici in Ecclesia, quod eorum munus;

2) Quae magisterii instrumenta;

3) Qua ratione dignoscatur esse aliquid in deposito fidei;

4) Quo sensu loqui liceat de progressu et evolutione dogmatum ac de intellectione fidei.

Dicemus ergo :

1) De magisterio vivo et de traditionibus;

2) De traditionis organis, criteriis, fontibus;

3) De progressu fidei.

Quae, quomodo se habeant ad principia constitutiva, directiva, adjuvantia (ad quae omnia referunt Wirceburgenses t. 1, initio), quomodo ad locos theologicos (vel sedes argumentorum theologicorum), clarius postea perspicietur, et bene explicat Franzelin in Prolegomeno.

N. B. — Ex iis ea fusius evolvemus quae minus solent in scholis tractari; cetera paucis in memoriam revocabimus.

8. **Summa assertorum catholicorum in ea re et controversiae cum Protestantibus.** — Franzelin in Prolegomeno; Bainvel, *Études*, 5 mai 1899, § II; Möhler, maxime § 36, 38-41, 44, 50; Scheeben, § 7, n. 56-66. Hic breviter, plura in decursu.

1) Dicunt Catholici institutum esse a Deo magisterium vivum, authenticum, infallibile; negant Protestantes.

2) Dicunt Catholici nec omnia esse scripta, nec sufficere Scripturam; negant Protestantes.

3) Dicunt Catholici esse veritatem revelatam bonum sociale Ecclesiae, cujus fideles fiant participes in unitate fidei; negant Protestantes.

4) Dicunt Catholici fieri progressum fidei in Ecclesia, fieri posse nova dogmata; negant Protestantes esse haec legitima

Sub hac assertorum contrarietate latent principia contraria,

quorum evolutio paulatim facta est et per gradus : hinc principium auctoritatis, illinc liberi examinis; hinc religio socialis, illinc individualismus; hinc objectivismus doctrinalis et valor religiosus veritatis, illinc subjectivismus [1]; et similia.

1. Characterem hunc dogmaticum Ecclesiae a primus usque saeculis, quanti fieret veritas et unitas in veritate totali, quantum malum haberetur haeresis, quanta cura esset acceptam veritatem integram et incorruptam servandi et tradendi etc., passim ostendit Newman, *Development*, v. g. c. 8, § 1; c. 7, § 5; c. 6, sect. 2, n. 17.

PARS PRIMA

DE MAGISTERIO VIVO ET DE TRADITIONIBUS.

CAPUT I.

NOTIONES ET DEFINITIONES.

9. 1 **De traditione** — Cf. Wirceb., n. 58 sq., Franzelin, th. 1, 2.

a *Traditionis* nomen duplici modo apud Patres et Theologos usurpatur : sensu *activo*, ut significetur alicujus instituti vel doctrinae ad religionem pertinentis a majoribus transmissio; sensu *passivo* vel *objectivo*, ut significetur ipsum institutum vel doctrina transmissa.

Cum autem transmissio activa passivam supponat et passiva activam, nomen saepe sensu complexo usurpatur ut utrumque significet. Sic nos in inscriptione tractatus. Cf. Tridentinum l. c.

N. B. — 1) Advertit Scheeben, n. 201, et recte quidem, nomine *traditionis* non significari *totum* munus magisterii vivi. Sed bene exprimitur proprium munus *hujus* magisterii, quod est *acceptum tradere*.

2) Traditio, sensu activo, importat organum transmissionis. Unde fit ut significet saepe *ipsum medium* transmissionis, et id quidem fere ut contradistinctum a transmissione per scriptum. Hinc porro sensu passivo traditio saepe est res *ore* transmissa.

3) Sensu pressiore et maxime theologico, traditio dicitur respectu verbi divini Ecclesiae commissi et fidelibus transmittendi. Hinc traditio sensu activo erit organum authenticum transmissionis, si quod est praeter ipsos libros sacros divinitus institutum; sensu passivo, ipsa res divinitus dicta per magistros authenticos transmissa. Hoc magisterium authenticum

vocat fere Origenes *praedicationem ecclesiasticam*, quod nomen magisterio *vivo* maxime convenit.

4) Eadem valent de graeco vocabulo παραδόσεως quae de latino *traditionis*.

b) Traditio multipliciter dividi potest :

Spectato organo, est authentica vel non authentica, prout docent magistri divinitus instituti, vel alii.

Sed N. B. ex non authentica potest fieri gradus ad authenticam, et secundum hoc traditio theologica v. g. potest esse mediate authentica.

Huc refertur divisio locorum theologicorum in *principales* vel *secundarios*, in *immediatos* vel *mediatos*, prout vim probandi vel ex se habent vel aliunde mutuantur.

Spectata passive, dividitur :

Ratione *originis*, in divinam et ecclesiasticam.

Divina est divina simpliciter, dominica vel evangelica, divino-apostolica. *Ecclesiastica* est apostolica (= humano-apostolica), simpliciter ecclesiastica.

N. B. — Ecclesiastica utraque vocatur aliquando mediate divina, ut leges Ecclesiae.

Ratione *materiae*, in disciplinarem et dogmaticam.

Dogmatica potest esse :

Constitutiva, ut aliqua veritas non scripta in libris sacris, sed dicta Ecclesiae.

N. B. — Quaedam sunt verba Christi ἄγραφα, nec *scripta*, nec *dicta Ecclesiae*. De his judicandum est ut de revelationibus privatis. Unum ἄγραφον retulit Paulus Act. 20. 35. Multa inveniuntur apud Patres.

Interpretativa, ut aliquis modus intelligendi Scripturam sacram, v. g. *Jacob*. 5. 14, cf. E. 786 et 804; quae rursus dicitur *inhaesiva* vel *declarativa*, prout vel litterae simpliciter inhaeret, vel verba de se confusa in aliquem sensum determinatum declarat. Sic traditio *inhaesiva* verba Pauli *Rom*. 5. 12 de peccato originali intelligit, cf. E. 671; *declarativa* a vocabulo *omnes* B. Virginem excipit.

Ceterae divisiones ratione *loci*, *temporis*, *obligationis* minus theologicae sunt et facile intelliguntur. Cf. Wirceb. n. 60.

N. B. — 1) Gallice nomen hoc *la tradition* valde confuse usurpatur, nulla facta distinctione inter authenticam et non authenticam, inter veterem

et recentem, inter generalem et particularem : unde fit ut saepe pro traditione afferatur opinio vel conjectura alicujus unius auctoris, et quidem recentis, saepe dicatur simpliciter *la tradition*, cum multae sint *traditiones* inter se contrariae.

2) Si dogma intelligitur res a Deo dicta *formaliter* et explicite proposita fidei, dogmaticae traditiones omnes erunt divinae, ut patet; sin extenditur ad omnem Ecclesiae definitionem infallibilem (quod aliquando fit improprie), erunt etiam traditiones aliquae dogmaticae mediate divinae, quae non sint (secundum communiorem explicationem) verbum Dei nisi *virtualiter*.

Disciplinares divinae aliae sunt, aliae humanae. Disciplinares in N. Test. non videntur esse divinae nisi eae quae Sacramentorum substantiam respiciunt (aut sacrificii oblationem), quae proinde solae sunt, inter disciplinares scilicet, immutabiles.

Apostolicae autem quae vocantur ad divinas referuntur si divinitus sive a Christo sive a Spiritu S. acceptas Apostoli ut promulgatores novae legis tradiderunt; ad humanas (ecclesiasticas sc.) si sunt ab ipsis Apostolis ut Ecclesiae fundatoribus inductae. Quanquam has quoque aliquando S. Patres *divinas* vocant, cum sint mediate divinae (ut totum jus canonicum), illas etiam *apostolicas* vel *ecclesiasticas*, ratione sc. organi transmissionis.

c) *De traditionis auctoritate*, cf. Wirc. n. 61, Berthier n. 84, Franzelin th. 1. Res partim per se intelligitur, partim colligitur ex dictis de potestate Ecclesiae, partim ex dicendis patebit. Hic pauca :

1. Traditio divina ejusdem est auctoritatis ac Scriptura. Trident. Sess. 4, E. 666. Traditio apostolica auctoritatem habet Apostolorum, ecclesiastica Ecclesiae.

2. Spectato organo transmissionis, duo sunt distinguenda :

a) Auctoritas *humana*, et habitudo ad auctoritatem *divinam*. Auctoritas *Ecclesiae testantis* tale esse dogma suum magna est etiam ut humana, cf. J. Simon, *Histoire de l'École d'Alexandrie*, t. 1, p. 340-1; ut divina, infallibilis est. *Testimonii Patrum* in re doctrinali vis historica magna est, authentica potest esse infallibilis.

b) Auctoritas *propria* et auctoritas *aliena*. Auctoritas propria theologorum in ambitu suo magna est; aliquando inde argui potest ipsa sententia Ecclesiae infallibilis. Idem valet de auctoritate Patrum propria vel privata vel authentica, et de ea ut sunt *testes*.

3. Cavendum est, idque vel ex sapientia humana, ne pro

nulla habeatur aliqua auctoritas quia non sit infallibilis.

d) *Modus dignoscendi traditionem divinam* non unus est : si res per solam revelationem sciri potuit ; si *fidei* proponitur per magisterium authenticum ; si est supra potestatem Ecclesiae, cet. Alia criteria mere negativa sunt, ut universalitas, ut immutabilitas facti, ut vetustas omni hominum memoria antiquior.

N. B. — Cum in re disciplinari possit Ecclesia etiam suo nomine condere leges, practice fit saepe ut idem sit agere contra traditionem ecclesiasticam et contra divinam. Hinc Patres fere utrumque pro uno habent ; idque eo magis quod saepe cum usu aliquo doctrina conjungitur, ut cum usu communionis sub una specie. Adde non eamdem fuisse illis temporibus necessitatem distinctionis criticae.

10. 2 **De regula fidei et de auctoritate sociali in re religiosa**. — In quaestione de traditione implicita est quaestio de *Regula fidei,* ad quam cito devenit summa controversiae protestanticae saeculo XVI°. Cf. Scheeben n. 57-66. Porro regula fidei dici potest :

Vel *objective* et *constitutive,* ut significetur quibus veritatibus adhaerendum sit ut revelatis — atque in hoc lis est inter Protestantes et nos num aliqua sint revelata praeter ea quae in libris sacris continentur ;

Vel *directive,* ut significetur quibus instrumentis vel organis nobis proponatur et ad nos perveniat verbum Dei — atque in hoc controversia est inter eos et nos num *Deus* instituerit magisterium vivum cui munus et potestatem commiserit verbum Dei, sive scriptum sive traditum, custodiendi, explicandi et proponendi, defendendi et definiendi, idque cum triplici praerogativa :

Auctoritatis quae vim habeat obligandi nomine Dei ;

Infallibilitatis quae sit ex assistentia Dei ;

Signorum credibilitatis quae sint signaculum et testimonium divinae institutionis, cf. *Mat.* 28. 19-20 ; *Marc.* 16.17 sq.

Quae posterior controversia multo majoris est momenti, et ea soluta facilis fit solutio prioris. Cf. Franzelin th. 3 ; Palmieri § 20 et 21 ; Card. Vaughan in Praefatione ad L. Rivington, *The primitive Church and the see of Peter*. London 1894.

Protestantes ergo unam fidei regulam admittunt, Scripturam

sacram; directivam nullam, praeter judicium privatum, vel mystico quodam sensu, secundum veteres, vel mediis humanis, ut critica et documentis humanis, secundum recentiores, adjutum. Catholici pro regula fidei remota (constitutiva) habent non solum Scripturam, sed etiam traditiones; pro regula proxima directiva) Ecclesiae magisterium divinitus institutum ad custodiam, propositionem, interpretationem depositi.

Cum hac Protestantium doctrina de regulae natura et existentia alia conjuncta est de qua Scheeben n. 59-60. Protestantes aut admittunt aut logice admittant oportet neque ullam intendi a Deo hominum omnium in fide et veritate conjunctionem, neque ita necessariam esse revelatae veritatis agnitionem ut omnis ab ea vita et cognitio supernaturalis dependeat, siquidem Deus aut nihil aut non satis effecit quo haec mentium voluntatumque conjunctio atque haec revelationis agnitio procuraretur: quorum utrique contrarium docet Ecclesia catholica : ut fere tota lis hinc ad certamen inter individualismum et sociabilitatem, inde ad certamen libertatis humanae cum auctoritate divina redeat. Cf. Vatic. Constitutio *De fide*, prooem.; Scheeben, n. 61-6; Brugère Praef., p. xvi et p. 12.

11. 3) **De judice controversiarum et de interprete Scripturae.** — In quaestione de Traditione et de Regula fidei implicita est haec quoque, multumque inter Catholicos et Protestantes agitata. Porro Protestantium dogma est sensum et interpretationem Scripturae singulorum permitti judicio, ac proinde nullum esse institutum controversiarum judicem authenticum. Contra Catholici, ut patet ex Tridentini et Vaticani locis n. 3 indicatis.

12. 4) **Conclusio et introductio ad sequentia.** — Hinc apparet qualis et quanta sit haec quaestio; apparet quoque aliquo modo quale futurum sit munus hujus magisterii vivi cujus institutionem vindicamus, quales ejus praerogativae.

Inde scilicet verbum Dei sive scriptum sive non scriptum oportet accipiamus, cum Deus ad nos ipse non loquatur;

Ejus est revelationis depositum custodire (ac proinde ipsam Scripturam) nihil addendo, nihil detrahendo, nihil immutando;

Ejus est verbum Dei authentice et cum auctoritate promul-

gare ac proponere, oboedientiam fidei exigendo, omnesque ad unitatem in fide et veritate (nam de voluntatum conjunctione non est hic sermo) vocando;

Ejus est obscura declarare, controversias dirimere, de opinionibus et erroribus secundum fidei regulam judicare;

Ejus denique est omnia necessaria ad salutem fideique perfectionem et definitionem docere.

Quae omnia ad triplex munus apte referuntur *testis* (et custodis), *doctoris* (et interpretis), *judicis*, triplicemque praerogativam important *potestatis* divinitus acceptae (vel *missionis*), *infallibilitatis* ex divina assistentia ratae, *credibilitatis* per signa certa divinae missionis. Cf. Scheeben, n. 67.

Hinc jam apparet quoque quodnam sit objectum hujus magisterii. Versatur scilicet circa veritates jam revelatas, non accipit novam revelationem; tantum patet quantum requirit natura et munus ejus, finisque institutionis.

Unde fit ut non solo ambitu veritatis revelatae totum concludatur; fit etiam ut non attingat cetera nisi ratione veritatis revelatae custodiendae, exponendae, imponendae.

Actio autem et *influxus Dei* non est in *inspiratione* sed in *assistentia*, cum inspiratio importet positivum Dei influxum in eum qui scribit aut loquitur, vi cujus Deus censeatur nos alloqui per prophetam aut scriptorem sacrum, assistentia nihil aliud nisi ejusmodi concursum quo vitetur error, quo dirigantur et adjuventur magistri in apta et opportuna veritatis propositione. Cf. Constit. *Pastor aeternus*, c. 4, E. 1677. Item E. 1645-6.

Apparet tandem quo pacto privatae revelationes, si quae sint, pertineant ad Ecclesiam : non ut eas authentice proponat, sed ut de iis judicet, iisque, si videatur, utatur ad fovendam fidem ac devotionem.

CAPUT II.

DE DIVINA MAGISTERII VIVI INSTITUTIONE

13. Rem pro probata assumere, si velimus, licet, cum ex tractatu de Scriptura constet non aliunde dignosci sacrorum librorum inspirationem eorumque haberi canonem, ut ad fidem catholicam oportet, posse quam ex traditione divino-ecclesiastica; item requiri Scripturae utpote aliquando obscurae interpretem et controversiarum de vero ejus sensu judicem; — ex tractatu vero de Ecclesia, existere societatem quamdam visibilem, hierarchicam, cui commissa sit potestas infallibilis docendi ac verbum Dei propagandi, exponendi, authentice promulgandi, quae est ipsa notio magisterii vivi. Cf. Pesch, t. 1, prop. 24, 25. Visum est tamen ad pleniorem et distinctiorem doctrinae cognitionem conferre, ut praecipua rerum capita hic attingamus, cum praesertim quaedam hic soleant afferri quae alibi aut non traduntur aut non ita traduntur. Ea autem quae alibi tractari solent satis erit indicare.

THESIS I.

Ex iisdem Scripturae Patrumque testimoniis quibus demonstratur divina Ecclesiae institutio, proprietates, potestas, et aliis bene multis, evincitur institutum esse a Christo magisterium authenticum, quo tanquam organo perpetuo, ordinario, necessario, propagaretur, conservaretur, proponeretur authentice veritas revelata Christique religio.

Auctores. Inter multos, Pesch, t. 1, prop. 24, 25; Franzelin, l. c. th. 5, 4, 8; P. de la Barre, c. 1.; Billot, *De Ecclesia*[2], Romae 1903, th. 1, th. 16.

DECLARATIONES PRAEVIAE.

14. 1) *Sensus thesis* intelligitur ex ipsa verborum declaratione. Thesis tota est positiva, supposita authentia et auctoritate Scripturae cum humana, tum divina.

2) *Adversarii.* Protestantes omnes, puri sc.; Rationalistae potissimum recentissimi, ut Harnack, ut Sabatier, qui nihil esse institutum a Christo quod vel societatis vel magisterii authentici rationem haberet, sed omnia repetunt ex naturali necessitate et rerum evolutione, textus autem contrarios, ut *Mat.* 16. 18; 18. 17; 28.19, amandant ad saeculum secundum, et quidem eo ipso maxime quod sint suae opinioni contrarii. Cf. Pesch, n. 310 et 356.

3) *Vis nostrae argumentationis.* — Qui divinam Scripturae auctoritatem admittunt, thesim hanc pro divinitus dicta debent habere; ceteri pro historice certa ex humana sc. auctoritate Scripturae et historico testimonio irrefragabili. Ipsa etiam consideratio Ecclesiae catholicae thesim nostram evincit, cum ipsa sit signum certissimum divinae suae institutionis. Vatic. Const. *Dei Filius*, c. 3, E. 1643.

ARGUMENTA.

25. 1. *Ex fine et munere Ecclesiae.* — Ad hunc finem instituit Christus Ecclesiam ut, eo in caelum assumpto, esset in terris qui pro eo, ejus nomine et auctoritate, religionem ab eo institutam servaret, propagaret ac promulgaret, ipsumque opus ad quod ipse missus erat ejus vice continuaret ac perficeret. Atqui praecipua pars religionis christianae est Christi doctrina, ejus fundamentum est fides qua creditur Christo ejusque doctrinae, opus Christi praecipuum fuit revelare et tradere hominibus veritatem religiosam. Ergo. Cf. Vatic. *De fide,* c. 3 : Ut autem officio, vet.

2. *Ex institutione apostolatus et missione Apostolorum.* — Cf. Scheeben n. 92-96. Nota sunt verba Christi, *Mat.* 28. 18; *Marc.* 16. 15; *Luc.* 24.47; *Act.* 1. 8; cf. *Joan.* 14. 16; 16. 13. Ex quibus colligitur *officium* testis et doctoris, *potestas* fidem

exigendi, *assistentia*, et quidem *perpetua* ea tria : in quo est tota thesis.

3. *Ex doctrina Apostolorum.* — Cf. Scheeben n. 98. Duo, inter multos, loci sunt praecipui : Rom. 10. 7-19: Eph. 4. 7-14. Unde colligitur oeconomiam hanc et ordinariam esse, et perpetuam in substantialibus fore.

4. *Ex praxi Christi et Apostolorum.* — Cf. Franz. th. 4. — *a*) Christus docuit tanquam potestatem habens, verbo non scripto; misit Apostolos ut ministros verbi non ut scriptores.

b) Ipsi Apostoli exhibent se ut *legatos* Christi, *Rom.* 1. 5; 15. 18; 2 *Cor.* 5. 20; 1 *Thess.* 2. 13; ut *testes, Act.* 10. 41; 13, 31; 22. 15; 26. 16: munus suum et missionem *miraculis* comprobant, 1 *Cor.* 2. 4; 2 *Cor.* 12. 12; 1 *Thess.* 1. 5 sqq.; *oboedientiam fidei* exigunt, *Rom.* 1. 5; 15. 18; 2 *Cor.* 10. 5, 6; *Gal.* 1. 8: controversiam ipsi authentice definiunt, *Act.* 15. 28; non scribunt nisi *per accidens*.

c) Ipsi sibi alios ad idem munus substituunt, 2 *Tim.* 1. 13-4; 1 *Tim.* 4. 6: eisque commendant ut ipsi alios in idem munus assumant, 2 *Tim.* 2. 2; 1 *Tim.* 6. 14; *Tit.* 1. 5-9; 2. 15. Atqui haec important oeconomiam magisterii authentici, necessarii, vicarii pro Christo, ut ipsa Ecclesia tota est ad opus Christi in terris continuandum et perficiendum.

N. B. — Nec dici potest, ut facit Neander apud Franzelin, th. 4. ad f., immutatam esse eam oeconomiam mortuis Apostolis. Id enim non probatur; immo contrarium probatur et disertis testimoniis, et eo quod haec oeconomia ostenditur ut intrinseca et essentialis religioni christianae, et documentis posterioribus.

5. *Ex doctrina et praxi vel Patrum vel Ecclesiae a primis usque saeculis.* — Cf. Franzelin, th. 8. Quinque haec puncta sufficiat indicare :

1) Christi doctrina est penes Episcopos, ab iisque repetenda; sentit cum Christo qui sentit cum Episcopis.

2) Non est vera traditio nisi in successione apostolica, cum et haeretici habeant Scripturam suasque traditiones, sed non authenticas.

3) Vera doctrina apud eos est qui sunt in communione cum Ecclesiis apostolicis, et praecipue cum Ecclesia romana, a quibus traducem fidei habent ceterae.

4) Primum quaerendum est ubi sit Ecclesia Christi, visibilis sc., hierarchica, a qua et Scripturas earumque interpretationem et veram doctrinam Christi accipias.

5) Ecclesia est magistra infallibilis doctrinae Christi, infallibilis judex controversiarum, infallibilis interpres Scripturae. Nam ipsi docent, definiunt, judicant, eosque excommunicant et habent pro haereticis qui non acquiescunt; ipsi in punctis controversis quaerunt quid sentiant Patres priores, quid Episcopi per totam Ecclesiam, et secundum eorum sententiam judicant.

Unde *argumentum* : Vera doctrina est penes magistros vivos, secundum Patres. Atqui testimonium Patrum facit fidem in ea re et refert intentionem Christi. Ergo.

Prob. minor. *a* Facit fidem *historice*. Tradunt enim doctrinam quam ipsi vel ab Apostolis vel a viris Apostolicis acceperunt, ut facile perspicitur; quin etiam quasi directe perspicimus ipsam traditionem doctrinae apostolicae et evangelicae, cum eamdem videamus in Evangelio scriptisque apostolicis, eamdem in serie Patrum continua, eamdem in historia controversiarum a primis usque saeculis; neque continuationem hanc ipsi negabant haeretici.

b) Facit fidem *historice* simul et *theologice,* si Patres spectantur ut Ecclesia docens : sic enim testes sunt conscientiae socialis hujus societatis, et quidem circa punctum fundamentale, in quo haec conscientia socialis, sive theologice spectatur sive etiam historice, errare non potuit.

Ad probanda autem quinque illa puncta sint pauca e multis testimonia : Clemens Romanus, *1 Cor.* 42, apud Funk, *Patres Apostolici,* Tubingue 1881, t. I, p. 112; *1 Cor.* 44, Funk 116: — Ignatius ad *Ephes.* 3, Funk 1. 176; — Irenaeus 3. 2, Migne 7. 846; 4. 26. 2, Migne 7. 1053-4; 3. 3. 1, 2, M. 848; 4. 33. 8, M. 7. 1077; — Tertullianus passim, ac potissimum *Praescript.* 19-22. M. 2. 28 sqq. — Origenes *De princip.* 1. 2, M. 11. 116; — Cyprianus *De unit. Eccl.* 12 et 23, M. 4. 509, 517; — Augustinus *Contra litt. Petil.* 2. 51, M. 40. 300; Vincentius Lirin. passim, v. g. 4, 8, 23, 38, 39, M. 50. 641 sq. Cf. Scheeben, n. 102-105.

Conclusio : « successores esse apostolorum qui perpetua serie

et mutua communione cohaerentes per charisma veritatis custodiant depositum fidei. » Franzelin, th. 8.

N. B. — Vide apud Vincent. Lirin. c. 42 confirmationem historicam ex modo agendi in concilio Ephesino, et c. 43 ex modo agendi Paparum.

6. *Ex motivis credibilitatis quae etiam nunc exhibet Ecclesia catholica et ejus magisterium.* Cf. Scheeben, n. 106; Vaticanum, constit. *Dei Filius*, c. 3 : Ut autem officio, etc.; huc refertur, magna ex parte, liber Augustini *De utilitate credendi*, maxime c. 7, n. 19; c. 17, n. 35; c. 18, n. 36, apud quem multa similia passim. Aliquid simile refertur de Aug. Thierry, non esse se philosophum, indigere magistri auctoritate, magistram esse Ecclesiam summae auctoritatis, cui tuto se traderet.

Dupliciter potest efferri argumentum :

1) Experientia constat necessariam esse auctoritatem religiosam a qua veritatem discas. Atqui hujusmodi auctoritatem idoneam habemus Ecclesiam, sive spectatur haec auctoritas ut humana, sive ut divina. De qua auctoritatis necessitate plura infra.

2) Ecclesia exhibet se ut testem et magistram idoneam veritatis et auctoritate humana et auctoritate divina, sive spectatur continuatio ejus cum societate a Christo per Apostolos instituta, sive ipsa spectatur ut divinis suae missionis notis insignita. Qua de re fusius ubi sermo est vel de vera religione vel de Ecclesia.

SCHOLIA.

16. 1. Non bene objicitur *esse circulum* in nostra demonstratione. Nam neque ex sola Scriptura, neque ex Scriptura *ut divina* (nisi polemice et ad hominem) magisterium Ecclesiae demonstramus, neque ex magisterio *ut divino* divinam magisterii institutionem, neque ex locis Scripturae dubiis aut obscuris necessitatem interpretis ac judicis. Franzelin [2], th. 7, scholion, p. 61-64; item initio th. 8, p. 64-65; Palmieri [2], p. 238 sq.

2. Non ex eo quod diximus Episcopos esse successores Apostolorum sequitur *singulos* Episcopos esse infallibiles. Nam neque infallibiles fuisse singulos Apostolos ex iis locis concludimus ubi videmus institui magisterium apostolicum, et

aliud erat in Apostolis munus ordinarium pastoris atque doctoris, aliud munus extraordinarium fundatoris atque Apostoli presse dicti. Cf. Franzelin, th. 5, n. III; *Diction. de théologie catholique*, art. *Apôtres* V, 2 et VII, p. 1655 et 1658-9.

3. Quod Apostoli et Patres etiam Scripturas appellant, et quidem ut regulam fidei, ac secundum eas judicant, nihil officit thesi: neque ullus unquam catholicus negavit Scripturas etiam esse fontem fidei et regulam; sed quaeritur num eae *solae* sint. Quomodo autem inter se habeant magisterium vivum et Scriptura postea dicetur.

4. Non satis est probasse institutum esse a Deo *aliquod* magisterium, sed ostendendum est ita esse institutum ut vim haberet exigendi oboedientiam fidei et organum esset *ordinarium* transmittendi doctrinam Christi; atque id conficitur ex argumentis sive directe sive indirecte. Inde jam sequitur nec sufficere Scripturam (Wirc. 68), nec esse *absolute* necessariam (Wirc. 65-7); quanquam neque ejus maxima, neque humanorum mediorum sua negatur utilitas, ut fusius postea.

THESIS 2.

Librorum sacrorum scriptio tantum abest ut magisterii authentici necessitatem sustulerit, ut cum ex interna eorum indole ac dispositione, tum ex originis historia magisterii necessitas et perseverantia novis argumentis illustretur.

Franzelin, th. 7; Wirceb. 65-9. Cf. Perrone *De verbo Dei scripto*, c. 1, Prop. 2; c. 2, prop. 2; c. 3, prop. 1-3.

PRAENOTO.

17. 1. Concedunt aliqui Protestantes veram esse thesim de magisterio vivo si ad Apostolos tantum et Apostolica tempora exigatur; sed mutatam esse, scriptis jam N. T. libris, oeconomiam. Hic contra eos.

2. Thesis directe respicit argumentum ex critica interna Librorum Testamenti utriusque et ex historia originis scriptorum N. T. Multa alia argumenta eodem conducunt, quae cum alibi tradi soleant et facilia sint, hic breviter tanguntur ad plenitudinem doctrinae. — Multa supponimus nota.

ARGUMENTA EX ALIIS FONTIBUS.

18. 1. Hanc mutationem neque Scriptura neque ullum aliud documentum innuit. Ergo.

2. Ex *Ecclesiae munere, natura, fine,* atque ex allatis Scripturae Patrumque *testimoniis* sive implicite sive explicite constat oeconomiam apostolicam non ad tempus, non accidentalem, non pro mutabilibus rerum adjunctis fuisse, sed perpetuam, sed, ut fusius postea, essentialem (ex ordinatione sc. divina), cum ipsa fidei et Christianae religionis ordinaria condicione connexam.

3. *Generalem oeconomiam* important et, sive implicite sive explicite, exceptionem adversariorum excludunt diserta N. T. testimonia, ut *2 Thess.* 2. 15, cf. *Philip.* 4. 9; *1 Thess.* 4. 2; *2 Tim.* 1. 13; 2. 2.

4. Idem ostenditur ex *obscuritate* Scripturæ et necessitate interpretis (*2 Petri* 3. 16, cf. *Act.* 8. 28 sq.), ac judicis controversiarum (quas exoriri multas historice constat); ex necessitate magisterii ad constituendum canonem et tradendam Scripturam integram ut verbum Dei. Cf. Perrone l. c.; Franzelin, th. 18, et *De Script.* th. 8; Pesch, t. 1, prop. 62.

ARGUMENTA DIRECTA.

19. 1. *Ex indole et dispositione librorum.* — Inspicienti patet non eum esse scopum librorum ut clare et nitide, ut modo didactico, ut tota per eos doctrina tradatur, sed potius scriptos esse — pro personarum rerumque adjunctis — ut ore tradita in memoriam revocarentur, ut magistri vivi absentia suppleretur, ut quaesitis responderetur, ut errores ingruentes falsique magistri refellerentur, ne multa, ut magisterio vivo daretur subsidium quo uteretur, non ut amoto magistro liber sufficeret. Ergo.

2. *Ex origine librorum.* Idem patet ex iis quae historice de eorum librorum origine cognoscimus, ut ex Prooemio Lucae, ex Epistolis Pauli, ex Papia, ex Patribus. Nam :

Si tempora spectes, paulatim scripti sunt, non statim ac simul omnes.

Si scribentis intentum scribendique causas, nihil ex proposito, nihil ex communi consilio (cf. *Act.* 15. 22 sq.), sed omnia pro rerum temporumque necessitate aut opportunitate.

Si personas in quarum gratiam scripti sunt, non ad totam Ecclesiam, sed aut ad aliquos conventus aut ad aliquos Episcopos, quin etiam aliquando ad privatos. Unde etiam factum est ut multae Ecclesiae multis libris diu caruerint, aut de eorum origine et inspiratione dubitaverint.

N. B. — Singula testimonia quibus probantur ea facta quae diximus afferre non est hujus loci, sed nos ex factis aliunde notis thesim probamus. De factis ipsis vide *Introductiones* in Scripturam sacram.

THESIS 3.

Assumpta duplici fidei et religionis christianae, secundum divinam intentionem, proprietate, unitate sc. et universalitate, ostenditur et quasi a priori, ex natura rei, et a posteriori ex Protestantismi historia, insufficientia Scripturae, ac magisterii authentici in praesenti ordine necessitas.

Franzelin, th. 6. Cf. Valentia, *De fide*, disput. 1, q. 1, puncto 7; Becanus, *Disput. De fide*, et Opusc. *De Judice controversiarum;* Scheeben n. 56-90 (paulo aliter ille quidem atque in thesi, sed res eodem redit); Bossuet, passim ac potissimum *Histoire des variations.*

DECLARATIONES.

20. 1. *Assumptum* hoc est: Deus voluit religionem ac fidem christianam unam esse omnium, et ita quidem ut nemini liceret eam aut totam aut partim respuere; ac proinde debuit providere ut revelatio christiana tota omnibus tuto ac facile ut credibilis et ut credenda innotesceret. Hoc assumptum negant quidem Protestantium haud pauci, vel ii qui jamdiu puncta fundamentalia a non fundamentalibus distinxerunt, vel ii qui omnia ad conscientiam subjectivam reducunt, quasi nihil aliud esset inquirendum, nec Deus voluisset omnium unitatem in fide et religione. Haec autem Dei voluntas et ex ipso facto revelationis ad genus humanum directae, et ex iis quae de revelationis necessitate, obligatione, de Ecclesiae necessitate, unitate, catholicitate dicta sunt, innotescit. Cf. *Mat.* 28. 18 sq.; *Marc.* 16. 15 sq.: *Ephes.* 4. 3-17. cet.

2. *Argumentum* ducitur potius ex parte Dei quam ex parte hominis : « Voluit Deus. Ergo providit. » Etsi non excluditur hoc alterum : « Homo debet. Ergo potest. » Hinc quoque non ex singulorum, sed ex generis humani consideratione arguimus. Affine est ergo argumentum ei quod alibi instituitur de morali revelationis necessitate. (Cf. Constit. *Dei Filius* c. 2 : « Huic divinae... » E. 1635; S. Th. *C. Gent.* I, 4.

3. Dicitur « in praesenti ordine ». Nam poterat Deus aliud medium instituere, ut revelationem immediatam singulis vel ab ipso Deo vel ab Angelis factam. Sed non instituit.

4. Duae sunt partes in thesi, altera ex ipsa rerum condicione, altera ex historia Protestantismi. Thesis est rationis inquirentis in rebus fidei.

PROBATIO PRIORIS PARTIS. — *Ex natura rei.*

21. Ut omnes homines in unam fidem et integrae revelationis agnitionem conveniant : *A*) Non sufficit Scriptura; sed *B*) Requiritur :

a) Vel revelatio privata, singulis facta, aequivalenter vel formaliter;

b) Vel propria singulorum inquisitio et demonstratio scientifica;

c) Vel magisterium humanum et fides auctoritati humanae habita;

d Vel magisterium authenticum, quale credunt Catholici a Christo institutum, humanum illud quidem aliquo modo, sed divinitus adjutum.

Atqui hoc non fit per *a*), *b*), *c*). — Ergo per *d*).

Prob. Major. *A*). *Non sufficit Scriptura.* — Nam, ut omittam viam ordinariam, hominum naturae et condicioni proportionatam, discendi et docendi, non esse solum librum, sed aut magistrum, aut librum in manu magistri, liber hic necesse est adsit, proponatur ut necessario legendus, divinam auctoritatem praeferat, verbum Dei ita certo et perspicue exhibeat ut intelligi sine dubitatione possit, denique ut solus omnia contineat et continere cognoscatur.

Atqui harum condicionum aliae aut nunquam aderunt *vi so-*

lius libri ut de necessitate legendi, de sufficientia), aut certe vix unquam fingi possunt; omnes simul si in uno aliquo adesse fingerentur, nunquam, ut oportet, in omnibus hominibus aderunt. Ergo.

N. B. — 1. Hoc facile concedunt ipsi Protestantes, requiri aliquod praeter Scripturam subsidium, vel humanum vel divinum.

2. Crescit vis argumenti si cogites sermonem esse de viva et semper in actu cognitione, praedicatione, confessione et praxi fidei ac religionis, non de inanimi depositi aut documenti mortui possessione.

Probatur M. *B*). *Requiritur unum ex aliis.* — Nam 1. A priori, distributio est adaequata : medium divinum, vel immediate ut *a*), vel mediate ut *d*); medium humanum, vel scientia, vel fides.

2. A posteriori : ad unum e tribus primis recurrunt Protestantes, ad quartum Catholici.

Prob. m. *a* Nam α) dari revelationem immediatam *formalem*, Deo ipso singulos alloquente, et nemo contendit, et non probatur; non dari constat vel experientia.

β) Dari *aequivalentem* (quae sit interna quaedam illustratio vel gustus quo verum Dei verbum et verus ejus sensus dignoscatur) non probatur; non dari constat historia et experimento. Quin etiam si detur, sufficere non patet, cum neque semper omnes librum habuerint, nec legere potuerint, ut illi Barbari, de quibus Irenaeus 3. 4. 2. M. 7. 855, qui sine charta et atramento credunt; ut illi de quibus Augustinus, qui « in solitudine sine codicibus vivunt ». *De doctrina christiana*, l. 1, c. 39, n. 44, M. 34. 36.

Prob. m. *b*). Nam 1, haec inquisitio paucorum est. Cf. S. Th. l. c. 2. Vix aut ne vix quidem ducere potest ad *certam* authentiae, inspirationis, canonis, textus, veri sensus cognitionem, ut ex multorum erroribus et dubitatione, ut ex innumeris controversiis constat.

Prob. m. *c*). Nam 1, humanam auctoritatem admittere Protestantes sine contradictione non possunt, quippe qui dicant velle se nihil inter Deum et se intermedium, ac propterea Ecclesiam catholicam rejiciant.

2. Humani magistri nec certam sibi scientiam comparare in rebus tam arduis potuerunt, neque proponere cum auctori-

tate, in tanto opinionum conflictu, possunt. Cogita *criticae* variationes et certamina.

Confirmatur argumentum ex comparatione cum revelatione primigenia et cum mosaica. Nam :

a) Revelatio primigenia corrupta est et deperiit defectu magisterii authentici (etsi Deus iis etiam non defuit in necessariis), cum ob paucitatem veritatum, longiorem vitam, etc., multo facilius posset quam nostra servari. Ergo nostra custodia indiget magisterio authentico.

b) Divinae sapientiae ac bonitatis fuit plus facere ad Christianae revelationis quam ad mosaicae custodiam. Atqui non plus, immo minus fecit, si non instituit magisterium authenticum. Ergo.

Prob. M. Nam et perfectior est Christiana revelatio magisque necessaria, et difficilius est servare tot veritates non in uno populo, sed in tot populis diversissimis.

Prob. m. Non enim ea adessent subsidia quae Judaeis aderant : sacerdotum auctoritas, Prophetae, synagogae, lex et vita civilis cum lege et vita religiosa intimo nexu conjuncta.

SCHOLIA.

22..1. Non valet *exceptio* contra Catholicos inde deducta, quod neque religio catholica omnibus satis innotescit. Nam hoc non est ex rerum natura, sed ex hominum culpa. Providit Deus, sed ita providit ut exsecutio ab hominum voluntate penderet : quod congruit cum iis quae Deus solet cum hominibus agere, solidaritatem socialem, libertatem, condiciones humanas respiciendo.

2. Quam *apte* et quam *convenienter* naturae hominum Deus hoc Ecclesiae magisterium instituerit inspicienti patet, sive consideratur natura socialis, et convenientia ut sicut humanam scientiam a parentibus et magistris haurimus, sic etiam religiosam; sive consideratur Christiana illa oeconomia secundum quam Deus parvulis se revelat et respicit humiles; sive inspicitur tota ratio religionis nostrae ut media salutis homo ab homine acciperet, ut omnes unum essent in Christo et socialiter cum eo jungerentur.

3. Sufficientia oeconomiae hujus inde apparet quod in regionibus catholicis vel rudibus innotescit facile conjunctio matris aut magistri cum sacerdote, sacerdotum cum episcopo, episcoporum inter se et cum Papa : ut ipsa Ecclesia omnibus adsit, et ita adsit ut pro captu discipulorum motiva credibilitatis secum habeat et attemperet. Porro divina intentio est ut omnes regiones sint catholicae. Quin etiam in regionibus haereticorum aut schismaticorum pleraque catholice fiunt; si quid vero non catholice, fere adest aliqua ratio discernendi et dogma catholicum et veram Ecclesiam. Apud infideles, idem cum aliqua proportione valet. — Dei est tanta suavitate humana cum divinis conjungere, tam fortiter procurare ut, dum suus est locus causis secundis, finis divinus attingatur vel via ordinaria per causas humanas divinitus dispositas, cum assistentia, quantum opus est, Spiritus Sancti, vel via extraordinaria ubi deficiunt media ordinaria : ut et omnia praeparentur ad effectum cursu rerum naturali attingendum socialiter, et ubi libertas humana cursum hunc a suo effectu impedivit, nihil tamen desit facienti quod in se est.

PROBATIO ALTERIUS PARTIS. — *Ex historia Protestantismi.*

23. Notae sunt Protestantium variationes, divisio in sectas innumeras, Scripturae detorsio in sensus falsissimos, controversiae infinitae, omnis revelatae veritatis abjectio, et loco ejus vel sensus nescio quis mere subjectivus in aliis alius, vel purus Rationalismus aut Scepticismus. Nisi quod multi pro Ecclesiae auctoritate auctoritatem mere humanam induxerunt. Cf. Franzelin, th. 6, n. II, p. 49 sq.; G. Goyau, *L'Allemagne religieuse. Le Protestantisme,* Paris 1898.

Varia stadia sic possunt indicari : 1. Ex Scriptura sola, innumerae lites, summa opinionum licentia. 2. Conatus Lutheri ut aliqua retineret, regulam aliquam et frenum imponeret. 3. Conatus ad conciliationem et unitatem (articuli Smalkaldenses, confessiones variae) et formulae concordiae. 4. Theoria de punctis fundamentalibus (Jurieu). 5. Indifferentismus religiosus, aliquando talis ut ipsa dissidia quidam dicerent esse bona et Deo grata, atque ad pulchritudinem

Sponsae facere. 6. Rationalismus aut Sceptismus, qui cum non satisfaciat instinctui naturae, ei adjungitur. 7. Subjectivismus quidam religiosus, fides sine dogmate, religio cordis, divisio inter religionem et rationem. Cf. Bossuet, *Variations;* Sabatier, *Les religions d'autorité et la religion de l'esprit,* l. 2, maxime c. 3 et 4. Paris 1904.

SCHOLIA.

24. 1. Loci Scripturae qui a Protestantibus afferuntur contra magisterium Ecclesiae (ut *Jerem.* 31. 34, cf. *Joan.*, 6. 45; *Jacob.* 3. 1, cf. *Mat.* 23. 8; *1 Joan.* 2. 27 et 20, etc.), non sunt hujus magisterii exclusivi; sed aut huc non spectant, aut magisterium *mere* humanum et sine missione excludunt, aut specialem Verbi incarnati aut Spiritus sancti interventum ad docendos homines significant, aut Deum esse solum magistrum principalem a quo omne magisterium derivetur; aut intelligendi sunt de gratia interna qua mens adjuvetur ad suscipiendam veritatem *rite propositam,* non de ipsa veritatis propositione, de lumine, ut dicitur, subjectivo non de objectivo (ut *Act.* 16. 14). Cf. Palmieri, p. 216-221.

2. Dicunt Protestantes nihil servari integrum quod ore transmittatur, sed necessariam esse scriptionem. — Respondeo :

a) Non negamus, immo libenter et grato animo agnoscimus utilissimam esse Scripturam sacram, ut subsidium connaturale magisterii vivi; quin etiam humanis documentis uti et adjuvari traditionem videmus et volumus.

b) Adest magisterio Ecclesiae Spiritus sanctus, removens ab errore, ducens in veritatem.

c) Etiamsi a Spiritus assistentia praescindas, ipsa Ecclesiae et magisterii catholici constitutio aptissima est ad depositum sancte incorrupteque servandum, transmittendum, applicandum. Quod sic patet (cf. Franzelin th. 9)[1] :

α) Unio et communicatio hierarchica Episcoporum et fide-

1. Multa facta de primis saeculis dat Harnack, *Die Mission und Ausbreitung des Christenthums,* p. 267 sq., Leipzig 1902; cf. L. de Grandmaison, *Études,* 5 août 1903, p. 317, 418.

lium totius Ecclesiae (Episcoporum in electione professio fidei publica quae Papae ceterisque communicatur, heterodoxorum a diptychis deletio, errorum condemnatio solemnis, litterae communionis, symbola, Concilia, Papae jusjurandum). Hujus communicationis testimonia : Tertullianus novit scriptum Irenaei; Augustinus quaerit quid scripserit Chrysostomus, interrogat Hieronymum et monet; Episcopi in Conciliis v. g. in Ephesino, colligunt testimonia Patrum; Paparum Epistolae servantur in archivio vaticano, etc. In Oriente concatenatio magistrorum et discipulorum.

β) Pastorum sanctitas et doctrina, ac potissimum studium vetustatis et traditionis, horror novitatis. V. Vincent. Lirinens. passim.

γ) Publica et aperta ubique doctrinae praedicatio (neque officit disciplina de secreto).

δ) Frequens commercium inter Graecos et Latinos : Irenaeus Lugduni, Athanasius Treviris et Romae, Hilarius in Asia et Aegypto, item Eusebius Vercellensis, Hieronymus.

ε Translationes operum : Irenaeus latine jam temporibus Tertulliani, Ambrosius theologiam discit Graecos in Latinum vertendo, Hieronymus Didymum, Origenem... facit Latinos... Ex his similibusque capitibus apparet quanta sit vis etiam historica testimonii Patrum in re doctrinali. Quod etiam Rationalistae perspexerunt, ut J. Simon, *Histoire de l'École d'Alexandrie,* t. I, p. 334 sq., qui haec habet : « L'Église universelle est assurément, même au point de vue de la fidélité purement historique, le juge le plus compétent et le plus sûr (de la doctrine du Christianisme). »

3. Videtur posse concedi primis temporibus plus datum esse auctoritati magistrorum *historicae,* plus postea auctoritati *authenticae* ad quam assistat Spiritus sanctus. Sed falsum est quod dicunt quidam Protestantes, hanc magisterii authentici notionem esse ignotam priscis Patribus qui solam appellent auctoritatem *historicam* traditionis. Nam primo in eorum sensu de traditione *historica* implicita est notio potestatis authenticae et charismatis divini; deinde ipsi primi Patres, data occasione, et « charisma veritatis certum » successioni apostolicae, et praesentiam Spiritus sancti expresse vindicant.

Sic certe Irenaeus et Tertullianus. Cf. Franzelin, th. 10, I.

4. Fatentur quidam Protestantes admitti quidem a veteribus auctoritatem Patrum et Episcoporum et praedicationis ecclesiasticae, sed ita admitti volunt ut haec auctoritas sit *meri testimonii*, non ut ipsa per se vim habeat (fere ut nos dicimus vel de auctoritate theologorum relate ad magisterium ecclesiasticum vel de auctoritate privatorum). Unde fit ut sola regula sit Scriptura, magisterium autem eatenus appelletur quatenus vel agnoscatur conforme Scripturae, vel certe ex eo arguatur sensus Scripturae. Cf. Franzelin, p. 7-8 (Prolegom.) et p. 93 (th. 10, II). — Respondeo non hoc solum dici a Patribus, immo diserta esse testimonia Patrum non Scripturam esse judicem magistrorum, sed magistros Scripturae. Vide, apud Franzelin. l. c. p. 94, verba Irenaei 4. 33.8; Tertulliani, Praescript. 19: Clementis Alexandrini, Strom., 6, p. 676: Origenis in Praef. ad περὶ ἀρχῶν et passim; Vincentii Lirin., etc.

5. Celebris est controversia Bossueti cum ministro Claude. Cf. Brugère, De Ecclesia, Append. 18. Dixerat Bossuetus non posse Protestantem ad actum fidei unquam pervenire nisi per praeviam dubitationem et infidelitatem, cum necessario per intermedia humana ad verbum Dei scriptum perveniendum esset. Respondit Claude eamdem esse condicionem Catholicorum.

R. Argumentum Bossueti non valere nisi *ad hominem*, secundum principia sc. Protestantium, qui omnem auctoritatem humanam intermediam respuant. Fatendum vero est et rudes et parvulos mediante auctoritate humana credere, ita tamen ut haec auctoritas ipsam Dei et Ecclesiae auctoritatem cum ipsis fere motivis credibilitatis quasi ob oculos ponat — quod non facit qui non credit Ecclesiae. Neque verum est quod assumit Bossuetus — nec negat minister Claude — dubiam esse omnem auctoritatem humanam : secus enim deficerent multis fundamenta fidei. Quid ergo interest inter Protestantes et nos? Haec duo :

a) Non respuimus omnem auctoritatem; ipsi faciunt, et per hoc non possunt pervenire ad actum fidei, nisi per inquisitionem dubitativam.

b) Nobis statim adest cum auctoritate humana ipsa auctori-

tas Ecclesiae, et ea quidem motivis credibilitatis stipata perspicuis; non sic Protestantibus, quibus non adest nisi auctoritas humana proponens libros sacros, et ea quidem sine motivis aut cum motivis insufficientibus, si stent sc. suis principiis. Collationem hanc cum appendicibus vide in *Œuvres de Bossuet*, édit. de Versailles 1816, t. 23, p. 233 sq.

6. Quod saepe dicitur a Protestantismo necessarium esse lapsum in Rationalismum, id verum est, modo rite intelligatur :

A. Et primo quidem de necessitate *morali*, idque tribus potissimum de causis :

a) Ex principio *liberi examinis* superbia oritur soliusque judicii proprii, seclusa *omni* auctoritate, fiducia. Cf. Bossuet, l. c. p. 285 sq.

b) Cum sit difficile logice pervenire, secundum Protestantium principia, ad rationabilem notitiam veritatis revelatae, haerent multi in vepribus, et assuescunt in rebus religiosis *solam* rationem sensumque proprium consulere, ne ipsi quidem Scripturae credendo, vel ei non credendo nisi quatenus consonat cum sensu proprio.

c) Cum alii aliud ex Scripturis hauriant, summus est dissensus; hinc nulla fides ipsi Scripturae, indifferentismus, Rationalismus.

B. Deinde, aliquo etiam pacto, de necessitate *logica*, idque dupliciter :

a) Protestantes, negando divinam magisterii et Ecclesiae auctoritatem, negant valere motiva credibilitatis quae pro Ecclesia afferuntur. Cum autem eadem omnino motiva simul pro Ecclesia et revelatione faciant, logice, rejecta Ecclesia, rejicitur omnis revelatio.

b) Protestantes, cum omnem traditionem excludant, ut quae necessario corrumpatur, implicite negant adesse unquam Deum in rebus humanis per media supernaturalia. Unde prona est via ad negandum omne miraculum et omnem revelationem supernaturalem : qui est rationalismus. Cf. Franzelin, th. 6. II, p. 53, n.; p. 56, n. Fuse Hettinger, *Apologie*, trad. fr. t. 4, c. 17, p. 525 sq. — Haec omnia comprobavit experientia.

7. Ejusdem fere rationis est quod Protestantismus vergit

in Scepticismum vel Subjectivismum, qui dicitur, religiosum. Difficilis est enim, ex sola Scriptura, assecutio veritatis religiosae. Hinc fit ut multi de ea desperent; aut si quaerunt, si etiam invenisse se putant, vix tamen possunt firmiter in sua opinione stare, cum videant alios iisdem mediis aliud assequi et vix ita sibi fidant ut soli sibi recte sentire videantur. Hinc duplex via, utraque Scepticismi :

Alii omnem veritatis objectivae cognitionem vel negant, vel negligunt; omnemque religionem, si quam tenent, ad sensum subjectivum reducunt.

Alii stant quidem pro veritate revelata, eaque objectiva, sed eam non ex rationis praescripto, firmisque credibilitatis motivis, sed potius vi instinctus cujusdam religiosi retinent, et necessitate practica. — Cf. Newman, *Discussions and arguments*, Pickering p. 366, in *Characteristics*, London 1875, p. 247 : *Discourses to mixed congregations*, p. 283, in *Characteristics*. p. 338. Idem, *Essays critical and historical*, Pickering, t. 1, p. 31, in *Characteristics* p. 124.

Hinc separatio illa rationis et fidei apud Protestantes; hinc ille multorum illuminismus; hinc practica illa inconstantia cum logicis rationibus quam fatentur Anglicani et jactitant.

N. B. — 1. Haec omnia confirmat historia tota Protestantismi.

2. Haec omnia pulchris coloribus et nominibus religionis vestivit apud nos Aug. Sabatier in *Esquisse d'une philosophie de la religion;* item acriter propugnat in opere postumo, *Les religions d'autorité et la religion de l'esprit.*

CAPUT III.

DE TRADITIONUM DIVINARUM EXISTENTIA.

25. Dato magisterio, habent catholici quod praecipuum est. Alia tamen quaestio est multum hinc inde primis potissimum Protestantismi temporibus agitata, utrum essent traditiones aliquae divinae praeter eas quae in Scriptura sunt consignatae. Qua de re antequam thesim catholicam statuimus, utile est pauca praemonere.

1. Similis fere quaestio fuit inter Patres et haereticos, sed alio plane sensu, cum haeretici appellarent traditiones quasdam arcanas, quasi esotericas, quas Apostoli discipulis quibusdam tradidissent et ipsi haeretici accepissent, negarent Patres esse quidquam hujusmodi, extra successionem sc. apostolicam, traditum. Cf. Tertull. *Praescript.* 25; item 33, 34.

2. Revocandae sunt in memoriam notiones hic necessariae: Aliud est aliquid esse *formaliter* revelatum; aliud esse revelatum *virtualiter*. Formaliter revelatum est quidquid a Deo dictum est hominibus[1], secundum vim sc. et rationem hujus quod est *dicere*, prout homines definiunt; virtualiter revelatum, quod non est proprie dictum a Deo, etsi deducitur logice mediante ratione humana, ex iis quae Deus dixit. Sic potuit Deus dicere animas humanas esse liberas, et tamen non dicere eas creari a solo Deo, etsi hoc alterum conjungitur cum priore, in communi conceptu entis spiritualis.

1. Dici a Deo hominibus intelligimus quod dicitur per scriptores sacros, cum Scriptura sit verbum Dei. Etsi enim aliud omnino est revelatio aliud inspiratio, fit tamen vi inspirationis ut quod dicit scriptor sacer, id pro verbo Dei sit. *Revelat* ergo *nobis* Deus quod dicit per scriptores inspiratos, etiam si id non est *scriptoribus* sacris *revelatum*.

Inter *formaliter dicta* iterum distingui solet. Quaedam enim sunt *determinate* dicta, quaedam *indeterminate* tantum. Determinate dicta possunt sine *alia* revelatione intelligi, etsi fortasse sunt implicite tantum et obscure revelata, ut ea quae de Christo et B. Virgine intelliguntur Genes. 3. 15. Indeterminate dicta non possunt de tali re determinate intelligi sine ulteriore revelatione qua constet quo sensu sit res determinate dicta. Sic non apparet quomodo possint verba Angeli ad B. Virginem (κεχαριτωμένη) de immaculata Conceptione determinate intelligi, nisi adsit alia revelatio de illo ipso sensu determinato. Relate ad determinate dicta possunt esse traditiones *inhaesivae;* relate ad indeterminate dicta requiruntur *declarativae.*

N. B. — Quamquam alii videntur aliter loqui de declarativis quasi et ipsae sint circa determinate dicta, sed ea obscure. Unde fit ut haec doctrina de determinate vel indeterminate dictis, etsi falsa non est, non sit tamen omni ex parte clara, ac proinde videatur minus utilis practice.

Hoc tenendum est duo esse genera traditionum (oralium sc.) cum aliae sint de re quae non sit contenta in Scripturis, ut de canone, aliae de re quae sit vel implicite et obscure vel indeterminate contenta.

3. Qui primi cum Protestantibus pugnaverunt, magna vi existentiam traditionum propugnaverunt, idque ob duas potissimum causas, ut videtur :

Quia non ita accurate distinguebant inter organum transmissionis et veritatem transmissam, ac proinde aliquo modo huc referebant ea quae nos de ipso organo diximus:

Quia traditiones intelligebant omnes, sc. non eas tantum quae non essent scriptae; quin etiam haud ita accurate distinguebant inter traditiones divinas et humanas, sed, ex concessis sc. per adversarios sive implicite et practice sive explicite et thetice, arguebant, et aliquando humanas etiam traditiones, ut videtur, in exemplum afferebant.

4. Praecipua res est *aliter* quam per Scripturas traditam esse ab Apostolis doctrinam fidei; utrum *aliud* etiam tradiderint quam quod aut jam esset scriptum, aut postea scriberetur, res est minoris momenti. Quanquam et hoc etiam potest de quibusdam ostendi, nec negari a Protestantibus logice potest.

THESIS 4.

1. Sunt, praeter Scripturas sacras, traditiones divinae non scriptae.

2. Quod negare Protestantes sine contradictione non possunt.

Documenta ecclesiastica praecipua. Denzinger, 243, 245, ac potissimum 666 et 1636. Cf. Theiner, *Acta genuina Concilii Trident.* t. 1, p. 56 sq., Zagrabiae 1875. E Patribus, locus est classicus Basilii, *De Spiritu sancto* c. 27 et 29. E Theologis multis, Wirceb. n. 68-73; Franzelin, th. 20; Pesch, prop. 52; Perrone, *De locis theol.* p. 2, sect. 2, c. 1, Paris 1879, t. 4, p. 469; De Groot, q. 17, t. 2, p. 241. Bossuet, *Fragments sur diverses matières de controverse*, fr. 5, Versailles, 1818, t. 18, p. 501.

DECLARATIONES.

26. 1. Dicimus *non scriptae,* sc. in libris sacris; nam possunt esse apud Patres.

Dicimus, *praeter Scripturas*, sive hoc intelligitur absolute de iis quae nullo modo sunt in Scriptura, sive relative de iis quae non ita clare aut determinate sunt in libris Scripturae sacrae, de quibus erit traditio inhaesiva vel declarativa.

2. Res eodem redit si dicitur Scripturam sacram non esse unicum locum theologicum, nisi quod haec positio plura continet.

3. Quaenam sint illae traditiones non scriptae, non semper facile est definire, nec res est necessario definienda in praesenti : sufficit eas indicare quibus traditur ipsa Scriptura ut verbum Dei authenticum; alias aliquas afferemus.

4. Contradictio quam tribuimus Protestantibus haec est (cum de facto negent traditiones) : credunt non scriptis, idque vel necessario in thesi, cum profiteantur ut primum principium suae fidei sufficere Scripturam et *credere* se Scripturam, eamque solam, esse verbum Dei; vel practice, cum admittant multa ut de fide quae scripta non sunt. Non tamen dicimus absolute necessariam esse hanc contradictionem, si quis v. g. admittat canonem et authentiam omnium librorum ut veritates humanis mediis cognitas, et omnes usus rejiciat, aut certe non habeat

pro divinitus traditis, nisi scriptos, sicut et omnem Scripturae interpretationem.

5. Thesis est de fide definita in Tridentino et Vaticano.

PROBATIO PARTIS 1. — *Sunt traditiones non scriptae.*

27. 1. *Ex magisterio Ecclesiae.* Rem definivit Tridentinum, E. 666: definitionem innovavit Vaticanum, E. 1636. Praeiverant alia concilia, vel implicite et practice res non scriptas aut non determinate scriptas, *fidei* proponendo, cf. E. 65; vel expresse vim traditionum vindicando, E. 243, 245; cf. Franzelin, th. 20, I, 4, p. 254. Praeiverant Patres unanimi consensu doctrinae, actionis : qui consensus et theologice, ut videbimus, et historice ac philosophice argumentum est verae et apostolicae doctrinae. Cf. Wirceb. n. 72. Plura apud Theiner, l. c. De factis, cf. Franzelin, l. c.

Idem eruitur ex haereticorum agendi ratione : traditiones enim ipsi et agnoscebant et appellabant; cf. Tertullianum, l. c.

Singularia puncta indicari multa possunt quae et sunt et semper fuerunt in Ecclesiae fide aut praxi, ut baptismus parvulorum, valor baptismi ab haereticis collati, perpetua Mariae virginitas, pronuntianda esse in Baptismo haec verba : *Ego te baptizo*, septem esse sacramenta, nec plura, nec pauciora, cet. Cf. Wirceb. n. 72.

2. *Ex Scriptura.* Ex iis quae ad probandum magisterium allata sunt multa hic quoque valent. Quanquam ex iis potius efficitur *aliter* ac per Scripturas traditam esse ab Apostolis doctrinam, quam *aliud* traditum esse atque quod in Scripturis aut jam esset aut futurum esset; quod apparet ex locis qui solent in hac re afferri, ut *2 Thess.* 2. 15; *1 Thess.* 2. 13; *1 Cor.* 15. 1; *1 Tim.* 6. 20; *2 Tim.* 1. 13; 2. 1-4, cet. Ex his tamen et similibus probabile efficitur argumentum, cum neque is fuerit scopus Apostolorum in scribendo ut divinitus tradita omnia scriberent, neque ad scripta fideles remittant sed ab ore tradita, neque pro depositorio habeant Scripturam sed magisterium apostolicum (*Galat.* 1. 8 , et multa in Scripturis non referantur nisi per accidens et ut ore tradita, cf. *Act.* 20. 35; item *Joan.* 21.

Praeterea quis putet, cum Christus redivivus loqueretur de regno Dei (*Act.* 1.3), nihil dictum ab eo esse nisi quod aut jam scriptum esset aut postea scriberetur?

Accedit quod ex Scripturis ipsis colligitur fuisse ab initio mundi usque ad apostolica tempora traditiones non scriptas (ut sunt promissiones de Messia ante Moysen, ut praedicatio evangelica ante evangelia). Cur non item clauso canone? Cf. Franzelin, th. 20, I, 1, p. 247.

PROBATIO PARTIS 2. — *Contradictio Protestantium.*

28. Protestantes *credere* se profitentur, et practice agnoscunt ut divinitus tradita multa quae scripta non sunt : canonem suum, baptismum infantium, quietem dominicam pro sabbatina (contra *Exod.* 20. 8), jusjurandum non omne prohiberi (contra *Mat.* 5. 34), manducari licite sanguinem et suffocatum (contra *Act.* 15. 28-9), licere uti gladio (contra *Mat.* 26. 52), solam fidei regulam esse Scripturam, singulos esse veri sensus interpretes et judices, nullas esse traditiones non scriptas, etc[1]. Ergo.

SCHOLION.

29. Ad ea quae Protestantes contra traditiones afferunt ex Scripturis sufficit advertere :

1) Non damnari traditiones divinas, sed humanas aliquas.

2) Nihil esse addendum verbo Dei vel scripto, vel non scripto; neque adulterandas esse Scripturas, humanas pro divinis inducendo.

3) Scripturam esse regulam fidei, sed non unicam et adaequatam.

4) Sufficere Scripturam, si quis ea bene utatur, et ea duce adeat Ecclesiam, cet. — Ad singula, cf. Wirceb n. 67, 69. 71.

1. Ipse Scherer, tum fidelis, haec scribebat : « Le canon est affaire de foi, non de science. » Apud Sabatier, *Les religions d'autorité*, p. 357.

CAPUT IV.

RELECTIO ET CONSECTARIA.

Hoc caput duobus articulis absolvemus. quorum alter erit de punctis quibusdam practicis aut declarationibus, alter de mutua Scripturae et magisterii habitudine. Ex quibus erit synthesis dictorum.

ARTICULUS 1.

Declarationes de notione traditionis et exercitio magisterii.

30. 1. *Quid sit Traditio proprie?* Traditio proprie dicta duo elementa continet, ex dictis : rem quae traditur, organum authenticum transmittendi et applicandi. Res quae traditur est et Scriptura et si quid aliud est a Deo dictum; organum, magisterium ecclesiasticum. Hinc « doctrina fidei universa, quatenus sub assistentia Spiritus sancti in consensu custodum depositi et doctorum divinitus institutorum continua successione conservatur, atque in professione et vita totius Ecclesiae sese exserit, sensu maxime proprio divina est Traditio [1] ». Quod autem in hac descriptione mentio fit de doctrinae manifestatione in professione et vita Ecclesiae, non ideo tantum dicitur quia ita est de facto, sed etiam quia haec est intentio di-

1. Verba sunt Franzelin, th. II, p. 96. Quam thesin hic paucis complectimur. Hanc notionem eatenus impugnat P. De San, l. c. n. 102, nota, et n. 139 nota, quatenus si nomen *traditionis* extendatur ad universam fidei doctrinam, jam pereat notio clara et praecisa traditionis prout contradistinguitur a Scriptura. Sed Franzelin ea quae scripta sunt dicit ad traditionem pertinere, non ratione sui, sed vel quatenus Scriptura ipsa ad traditionem pertinet, vel scripta non ut scripta spectantur, sed ut sunt in magisterio vivo et in mente Ecclesiae.

vina, ad quam exsequendam institutum est magisterium. Cf. *Ephes.* 4. 11.

Hanc traditionem vocant S. Patres praedicationem ecclesiasticam, intelligendi regulam, regulam apostolicae veritatis, cum doctrinam spectant ut objectum quod in successione apostolica servatur ac traditur; conscientiam fidei, catholicum intellectum, ecclesiasticum sensum, fidem scriptam in cordibus, cum spectant directe ut subjectum Ecclesiam sub Spiritu sancto constitutam et charismate veritatis imbutam ad intelligendum, custodiendum et explicandum depositum fidei. Cf. Franzelin, th. 11; Möhler, *Symbolique*, § 38.

Quomodo se habeat Ecclesia discens ad Ecclesiam docentem infra dicetur fusius. Quomodo veritas vivat in conscientia sociali Ecclesiae, et quomodo ab uno tradatur alteri, intelligitur ex ipsa notione magisterii et ex notione societatis religiosae. Cf. P. de la Barre, *La vie du dogme,* p. 84 sqq.

31. 2. *De exercitio magisterii.* — Magisterium in Ecclesia aliud est *extraordinarium*, aliud *ordinarium*. Extraordinarium fit per solemnes definitiones Paparum aut conciliorum oecumenicorum, quae, ut notum est, sunt infallibiles. Ordinarium multipliciter exercetur : per magistros authenticos, per eorum delegatos, per simplices fideles.

Magistri authentici sunt Papa et Episcopi.

Papa, etiam cum ipse docet, non semper utitur plenitudine suae potestatis, ac proinde non agit semper in virtute magisterii infallibilis, sed pascit gregem suum, qui est tota Ecclesia, sicut Episcopi suos singuli. Papa auctoritatem suam supremam, neque infallibilitatem, nemini delegare potest; sed saepe utitur, ad exercitium auctoritatis suae ordinariae, *congregationum romanarum* ministerio, quae etsi infallibiles non sunt, auctoritative tamen agunt.

Episcopi sunt magistri ordinarii in sua dioecesi, ac iudices fidei non supremi quidem, sed judices.

Sub Episcopis sunt *Parochi*, qui cooperatores sunt, et quasi vicarii Episcoporum; habent autem suos ipsi vicarios. Ad quorum institutionem sunt seminaria.

Immediate ad manum Papae sunt *Instituta theologica*, *Missionarii apostolici, Regulares* exempti, ad contionandum vel docendum.

Theologi, qua tales, simplicibus fidelibus annumerantur: qui ad manum fere sunt magistris ad consulendum, ad inquirendum, ad eloquendum.

Extra ordines porro magistrorum vel eorum quibus magistri utuntur adjutoribus ad docendum, est inter ipsos fideles communicatio doctrinae, idque vel ex officio, ut in parentibus respectu liberorum ac magistris — qui sunt pro parentibus — respectu discipulorum, etc., vel ex mera caritate, ut in catechistis laicis.

Qui docent omnes *subsidio* utuntur Scripturae, symbolorum, librorum, omnium denique monumentorum. Inter haec subsidia eminent catechismi et opera theologica.

Magistri authentici vel *positive* docent, vel *negative*, condemnando sc. Condemnationes aliae sunt, de se, mere *disciplinares,* ut relatio in *Indicem* librorum prohibitorum, aliae *doctrinales* (per Papam aut per Inquisitionem). Doctrinales aliquando feruntur in aliquem librum aut aliquam doctrinam in genere, aliquando in propositiones quasdam selectas, idque vel sine notis definitis, vel cum certis notis; quae notae aliquando singulae vel plures singulis propositionibus applicantur, aliquando collective omnibus. Plura postea.

His similibusque mediis, ut assistentiam Spiritus sancti omittam, efficitur :

a Ut doctrina in mentibus vivat, tanquam bonum sociale in conscientia sociali Ecclesiae.

b Ut integra transmittatur, nec quidquam sinatur deperire; utque transmittendo declaretur, ordinetur, etc.

c Ut singuli magistri quanquam sunt, praeter unum, eumque in usu plenario suae auctoritatis, fallibiles, fiant ex sua inter se et cum Papa conjunctione, organum infallibile (quodammodo) divinae traditionis. Plura postea. Cf. Franzelin, Scholia ad th. 12, p. 114 sqq.; Didiot, *Logique surnaturelle subjective,* passim; Vacant, *Le magistère ordinaire;* Scheeben, § 9-14.

32. 3. *De elementis humanis in traditione doctrinae revelatae, et de tractatione scientifica dogmatis.* — Misceri semper et necessario humana elementa in hac veritatis revelatae vel traditione vel acceptione evidens est. Item in scientifica dogmatis tractatione suus est locus et scientiis humanis et ingeniorum humanorum labori. Hinc fit ut vix possit dogma

purum, ut ita dicam, exhiberi. Haec autem mixtio humanorum elementorum tantum abest ut veritati revelatae noceat : prodest potius ad ejus intelligentiam. Sed cave ne humana pro divinis tradas.

ARTICULUS 2.

Quomodo inter se habeant magisterium et Scriptura.

THESIS 5.

1. Etsi verum est quodam sensu sufficere Scripturam, et neminem esse, praeter eam, audiendum, id tamen non absolute et universaliter verum est, sed aut hypothetice et in casibus particularibus, aut ad exclusionem apocryphorum, auctoritatis mere humanae, opinionum contrariarum, aut certe supposito, non excluso, Ecclesiae magisterio ;

2. Atque eo sensu, non ad Protestantium placita, praedicant Patres Scripturae plenitudinem, omnemque aliam auctoritatem excludunt.

Cf. Wirceb., n. 67-71 ; Franzelin, th. 19.

PRAENOTO.

33. Thesis est ad illustrandam potissimum historiam dogmatis et intelligenda dicta Patrum. Simul occurritur multis Protestantium criminationibus et ostenditur nihil esse Protestanticum in multis Patrum testimoniis quae ii ad se detorquent. Tota autem fere probatio est in rei declaratione per singula membra.

DECLARANDO PROBATUR PARS 1. — *Sufficit Scriptura quodammodo.*

34. *a*) Scriptura clare indicat institutum esse in successione apostolica magisterium authenticum ad custodiam, expositionem, defensionem veritatis revelatae. Ergo admissa auctoritate Scripturae, inde habemus implicite et mediate unde in omnem veritatem dirigamur. Cf. Augustinum, *Contra Cresconium*, l. 1, n. 39, Migne 43. 466.

b) Scriptura dogmata multa ita clare enuntiat, ut, admissa

ejus auctoritate, satis sit legere ad convincendos errores; multa minus clare, sed ita tamen enuntiat, ut satis sit intelligere : in quo, etsi necessarius fortasse est interpres aut judex authenticus, sufficit tamen Scriptura, rite sc. intellecta, ad exhibendam veritatem; multa denique indeterminate et confuse, quae si interpres authenticus ostendit quo sensu sint determinate accipienda, dici poterunt esse in Scriptura.

c) Si quid ne indeterminate quidem est in Scriptura, non est tamen id ipsum contra Scripturam; immo aut ex principiis Scripturae deduci potest, aut certe ita est in sensu et analogia fidei ut consonum sit Scripturae; atque semper, saltem mediate, innititur auctoritate Scripturae, ut dictum est ad *a*). — Praeterea, cum ea neque ita multa sint, neque ad fundamentalia (ut est Trinitas, Ecclesia) pertineant, non est cur semper ratio de iis habeatur in oratione.

d) Si quid est *contra* Scripturam, eo ipso convincitur erroris : item si quid ex apocryphis profertur ut divinitus dictum, si quid auctoritate mere humana fidei proponitur, si quid contra magisterium Ecclesiae.

PROBATUR PARS 2. — *Sententia Patrum.*

35. *a*) Patres, et quidem haud scio an ii maxime quos pro se allegant Protestantes, et Ecclesiae magisterium infallibile et traditiones divinas admittunt; quin etiam multos sine Scripturis vere Christianos esse et fideles diserte aliquando pronuntiant. Ergo longe absunt a Protestantibus.

Antecedens jam probavimus. Hic pauca. Augustinus : Ego... evangelio non crederem, nisi me... Ecclesiae commoveret auctoritas[1]. *Contra Epist. fundamenti,* c. 5, Migne 42. 176. Cf. *In Joan.* tract. 18. 1; *De baptismo*, l. 2, n. 12; *De doctrina christiana*, l. 2, n. 12 (apud Franzelin, th. 19, IV, 1, p. 237) : — Vincent. Lirin. c. 2, Migne 50. 640; cf. c. 22, 23, 28 (Franzelin, l. c. p. 236); — Tertullianus saepissime Scripturas esse

1. Hic est, ut videtur, sensus hujus loci : « Qui Evangelio nondum credit, » indiget aliqua auctoritate intermedia ut credat Evangeliis scriptis vel tanquam libris historicis fide dignis, vel tanquam libris divinitus inspiratis. Porro hujusmodi auctoritas tanta nulla est quanta Ecclesiae catholicae, tamque obvia. Cf. librum *De utilitate credendi.*

Ecclesiae, non ad eas prius provocandum, etc. Praescript. 19, 20, 21, 32, 36 (Franzelin, th. 8, I, 1 et 2; th. 10, II). — Nec minus clare passim Irenaeus (Franzelin, l. c.).

b) Singula testimonia si expendes, videbis ad unum ex dictis in 1 parte referri. Cf. Franzelin, th. 19, IV.

THESIS 6.

1) Instituta comparatione inter Scripturam et Magisterium, a) ratione originis et contenti, b) ratione auctoritatis, c) ratione necessitatis et mutui auxilii, d) ratione subordinationis : 2) Concluditur ita praecipuas esse partes Magisterii in conservanda et proponenda revelatione, ut Scriptura sit instrumentum connaturaliter necessarium Magisterii et praecipua ejus regula cum directiva, tum objectiva.

Franzelin, th. 21, cf. th. 18, 19, 20.

DECLARATIONES PRAEVIAE.

36. 1. Quaeritur non quid fieri potuerit, sed quid factum sit. Quid vero sit regula directiva, quid regula objectiva, vide n. 10.

2. Ex hac thesi apparebit quantum tribuant Scripturae Catholici, et quam falso iis objiciant Protestantes quod eam spernant ac nihili faciant. Tantum sc. ei tribuimus quantum libro tribui potest, eique divino, ita tamen ut simul meminerimus neque librum sibi sufficere, neque hunc esse scopum hujus libri ut sibi sufficiat, et institutum esse magisterium vivum cui liber sit traditus:

PROBATUR PARS 1. — *Comparatio.*

37. *a*) Utrinque habemus verbum Dei, et quidem, si originis modum spectes, nobilius et divinius expressum in Scripturis (inspiravit enim Deus scriptores : — si amplitudinem, plenius in magisterio : nam per magisterium accipimus et ipsas Scripturas et traditiones non scriptas, et Scripturae doctrinam et doctrinam de Scripturis.

N. B. — Si quaeras num Apostoli immediate a Christo aut Spiritu Sancto omnem doctrinam revelatam, idque seorsum a Scripturis, accepe-

rint, videtur affirmandum de veritatibus propter se revelatis et de iis quae debent semper esse in fide et praedicatione Ecclesiae, negandum de historicis aliisque propter aliud tantum revelatis. Cf. Franzelin, p. 266, nota, ad finem thesis 21.

b Auctoritas utrinque divina est et veritas infallibilis. Sed si sermo est de ordine logico ac de cognitione hujus auctoritatis. et veritatis. ea cognitio non habetur qualis esse debet de tota Scriptura et singulis partibus, pro omnium captu, in statu etiam controversiae, certa et facilis sine magisterio unde accipiatur canon authenticus, doctrina de inspiratione, interpretatio authentica.

N. B. — Potest quidem scientifica inquisitione demonstrari genuinitas et integritas librorum sacrorum, saltem plurimorum, item veracitas, et consequenter in quibusdam divinitas doctrinae, quin etiam aliquo modo librorum quorumdam inspiratio. Sed haec demonstratio neque obvia aut facilis est, neque omnibus accommodata, neque de tota Scriptura invicte valet. Item sensus librorum sacrorum est saepe planus, clarus, apertus; sed in multis quoque difficilis, obscurus, reconditus, quem sine interprete authentico pauci inveniant, pauciores pro certo habeant. Unde apparet quomodo sine circulo possimus et uti Scriptura ad demonstrandum magisterium, et uti magisterio ad demonstrandam ac stabiliendam doctrinam de Scripturae canone, inspiratione, interpretatione.

c Non esse necessariam per se Scripturam neque ad promulgandam aut proponendam revelationem, neque ad concipiendam fidem, vel ex eo patet quod et ante Moysen fuit revelatio, fuerunt credentes, idque sine Scriptura, ut videtur. sacra; et nova Lex ante est per Christum apostolosque ore promulgata ac propagata quam libris consignata (Franzelin, th. 20, I, 1, p. 247 sq.) : et innumeri homines sine charta et atramento, ut pulchre Irenaeus 3. 4. 2, Migne 7. 855, scriptam habent in cordibus salutem et veterem traditionem diligenter custodiunt. Cf. August. *De doctrina christiana*, l. 1, n. 43, Migne, 34. 36.

Non sufficere multiplici ex capite jam ostendimus, sive ejus credibilitatem spectes. sive custodiam et propositionem, sive interpretationem. Cf. Wirceburgenses, n. 65, 68.

Aliunde, Scriptura in manibus magistrorum fons est verbi Dei plenissimus, purissimus, quasi recens ab ore Dei, ac medium aut necessarium, dato quod magistri neque inspirati sunt neque infallibiles, aut certe aptissimum ad conservandum

integrum depositum revelationis, conciliandam et magistris et doctrinæ auctoritatem, procurandam in tota Ecclesia prædicationis et fidei unitatem, vitandos innumeros errores, controversias, dubitationes; in manibus autem magistrorum simul ac fidelium utilissimum, sin minus ad suscipiendam fidem, at certe ad adjuvandam, nutriendam, fovendam, dirigendam. ad omnem mentis et voluntatis ædificationem. Cf. 2 *Tim.* 3. 15-17.

d) Scripturæ nec existentia nec sensus genuinus a magisterio dependet; sed a magisterio, pro Dei ordinatione, pendet quod Scriptura integra et incorrupta conservata est, quod ejus genuinitas, integritas, auctoritas potest esse omnibus manifesta: item quod de vero ejus sensu judicium certum haberi potest. Paucis : a magisterio accipienda est. sensu jam dicto, et Scriptura et doctrina de Scriptura et quodammodo ipsa doctrina Scripturæ. Aliunde cum magisterii jam non sit novas veritates accipere, neque immediate Dei verbum audire, sed transmittere posteris illibatum, proponere et explicare, magisterium omnino a Scriptura dependet et negative (ne quid contra Scripturam proponat) et positive (ut præcipuam sui objecti partem vel unice vel certe fere totam, et quidem melius ac tutius in plurimis, e Scripturis accipiat). Fecit ergo Deus et magisterium ob Scripturam et Scripturam ob magisterium, et utrumque ob electos, sed aliter aliud, ut statim ostendetur.

N. B. — Ad pleniorem mutuae hujus habitudinis notitiam comparandam, utile est conferre munus propheticum in Synagoga cum munere magisterii in Ecclesia; conferre etiam munus magisterii hinc cum munere Scribarum et Doctorum legis in Synagoga, inde cum munere eorum qui in aliqua cathedra aliquem librum interpretantur ut Codicem, ut Magistrum sententiarum, ut Dantem.

DECLARANDO PROBATUR PARS 2. — *Conclusio.*

38. 1. Res clara est ex dictis. Deus cum vellet omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (in unitate fidei et religionis), magisterium apostolicum instituit, eique, cum potestate regendi et sanctificandi, docendi quoque potestatem contulit atque acceptam divinitus veritatem promulgandi, conservandi, authentice proponendi. Quod ut bene et efficaciter

efficeret, duplici charismate instruxit, miraculorum ad faciendam fidem, assistentiae ad veritatem servandam et rite proponendam.

Sed ne quid ex tanta veritatum summa excideret, ut magistris semper esset in promptu quod docerent, quo Deum quasi consulerent semperque suggerentem quid esset dicendum audirent, ut possent fidelibus non modo divinam auctoritatem exhibere, non modo veram doctrinam ore proponere, sed etiam documentis authenticis iisque divinis relegendam ac meditandam relinquere et quasi Deum loquentem rursus inducere, conscripti sunt, Deo inspirante, libri sacri, quibus sc. uteretur atque adjuvaretur et magisterium apostolicum et credentium fides atque religio.

In hoc autem habemus, ut patet, et præcipuas esse partes magisterii, et magisterio connaturaliter necessarias esse Scripturas, et a Scripturis præcipue, ut a fonte, repetendam esse doctrinam, et secundum Scripturas esse docendum et judicandum. Pendet ergo Scriptura a magisterio ut a custode, interprete, etc.; pendet magisterium a Scriptura, ut a regula cum objectiva tum directiva.

2. Tota hæc doctrina apte demonstratur et illustratur si quis cogitet codicem legum (non omnium quidem, sed præcipuarum) ab ipso rege dictatum, et judicibus authenticis, quos ipse rex de iis legibus ac de sensu codicis docuerit, cum interpretatione authentica, traditum, ut leges promulgent ac notificent, secundum hanc normam ipsi judicent ac definiant.

SCHOLIA.

39. 1. Ex dictis apparet quoque Scripturæ custodiam, et authenticam ejus interpretationem pertinere ad magisterium. Quantum autem pateat hoc munus interpretandi, quæ sint ejus prærogativæ, qui limites et ex iis et ex alias dictis notum est.

2. Concludendum est magisterium esse regulam fidei proximam et directivam, atque ipsum pro regula habere revelationem (scriptam, non scriptam), quæ regula est remota et objectiva.

3. Hinc doctrina de interpretatione Scripturarum, quam

egregie tradit Franzelin th. 18, cum dicit « prædicationem ecclesiasticam esse supremam normam interpretationis Scripturarum »; cujus thesis summarium hoc est :

« Catholicus intellectus 1° spectatus in authentico judicio ad universam Ecclesiam, vel in consentiente doctrina successionis apostolicæ manifestatus, sub assistentia Spiritus sancti, est interpres infallibilis sacrarum Scripturarum. Unde :

« 2° Hujusmodi authentica interpretatio, quatenus versatur circa singulares Scripturarum textus, simpliciter haberi debet *intelligendi regula;*

« 3° Universim spectata, *prædicatio ecclesiastica* est canon interpretationis significatione *negante,* quod sensus ei contradicens non potest esse verus, et significatione *aiente*, quod ad verum sensum reperiendum vel confirmandum plerumque manuducit et non mediocriter juvat. »

Hinc intelligitur :

a) Quid sit *lex interpretandi secundum analogiam fidei,* de qua Franzelin l. c. III, p. 227;

b) Qua ratione sancti Patres invenire, ut ita dicam, in Scripturis nitantur dogmata aliunde cognita, et eorum testimonia, quantum possunt, etiam obscura aut dubia pro dogmatis allegent; quin etiam eadem dogmata quæ sola traditione teneri aliquando affirmant, aliquando ex Scriptura vindicare studeant. Franzelin l. c. p. 226;

c) Non esse rectam eam interpretandi regulam quam jactitant Protestantes et etiam aliqui nostris temporibus Catholici, « ut interpres (verba sunt Franzelin) accedat ad Scripturas mente minime praeoccupata ullo dogmate ». Nam ut non debemus *nostrum* sensum praeconceptum inferre Scripturis, sed *sensum Scripturarum* facere nostrum; ita qui legit Scripturas oportet « perspectum habeat intellectum catholicum, et instructus sit regula credendi ab Ecclesia sibi tradita, ad quam sensus Scripturarum exigendus est ». Franzelin l. c. coroll. 2, p. 229. Vide ibidem testimonia Patrum.

Nec sequitur inde impediri hermeneuticam et exegesim scientificam, cum potius juvetur et sola tollatur errandi libertas; neque constitui Ecclesiam supra verbum Dei, ut Protestantes calumniantur, sed, ut dirigitur verbo Dei in credendo et sic

est sub verbo Dei, ita genuinum ejus sensum infallibiliter intelligere, authentice proponere, esse supra fallibilem singulorum intelligentiam.

4. Quam parum cohaereant dogmata protestantica, quantumque praestet systema catholicum, agnoscunt, vel cum suis praejudiciis, ii Protestantes qui utrumque systema pro aeque humano habent. Sic Sabatier, *Les religions d'autorité,* l. 2, c. 2, maxime § IV, p. 301, et § V, p. 306.

PARS ALTERA

DE TRADITIONIS ORGANIS, FONTIBUS, CRITERIIS.

Rem quadruplici capite absolvemus, quorum primum praeambula continebit, alterum erit de traditionis organis, fontibus, criteriis in genere. tertium de iisdem in specie, quartum puncta quaedam specialia declarabit.

CAPUT I.

PRAEAMBULA ET NOTIONES GENERALIORES.

Tria potissimum dicenda sunt breviter : 1) de objecto hujus partis in genere: 2 de locis theologicis, ad quorum tractationem tota haec pars potest referri; 3) de scopo proprio hujus partis et ratione tractandi.

40. 1. **De objecto hujus partis.** — Quae adhuc diximus generaliora sunt: institutum esse a Deo magisterium ut organum vivum transmittendae veritatis revelatae, et ita esse institutum iisque notis et praerogativis ornatum ut esset ad Dei voluntatem exsequendam aptissimum; verbum autem Dei, ad quod rite proponendum institutum est magisterium, et Scriptura contineri et sine scripto traditionibus: unde agendum quoque fuit et de habitudine mutua magisterium inter ac Scripturam, et de traditionum habitudine ad eamdem Scripturam. Nunc distinctius agendum est de verbo Dei inveniendo in traditione.

In quo quatuor sunt ita inter se connexa ut unum quodammodo efficiant, vario respectu distinctum. Si enim quaeratur quomodo ad singulos perveniat verbum Dei, quo instrumento vel vehiculo transmittatur, et respondeatur transmitti magisterio,

redit quaestio de exercitio et organis hujus ipsius magisterii, ad quod respondemus agendo de organis magisterii, vel de organis transmittendae veritatis revelatae.

Si quaeratur ubi inveniatur verbum Dei vel non scriptum vel scriptum illud quidem, sed non satis aperte sive scriptum sive propositum, respondenti inveniri in praedicatione Ecclesiae, vel magisterio vivo, fit instantia ubi sit haec praedicatio, quibus in documentis, apud quos doctores. Atque haec est quaestio de fontibus traditionis.

Si quaeratur regula dignoscendi verbum Dei aut verum ejus sensum, ac secernendi ab opinionibus humanis, regula haec est profecto Ecclesia docens; sed rursus quaeritur quando audiamus Ecclesiam docentem, quomodo dignoscatur ejus judicium et sententia vel in dogmatis proprie definitis, vel in rebus nondum definitis; atque haec est quaestio de criteriis revelationis.

Si tandem spectetur veritas revelata ut objectum scientiae, et quidem scientiæ magnam partem argumentativae, quaestio erit de mediis ad eam comparandam ac de variis subsidiis theologi, et potissimum de sedibus argumentorum vel locis theologicis.

Haec autem, ut eodem recidunt, ita sunt, ut patet, simul tractanda, ita tamen ut res modo sub uno respectu modo sub alio, pro opportunitate, spectetur.

41. 2. **De locis theologicis.** — Totum hujus partis argumentum ad quaestionem de locis theologicis multi referunt, duce et auctore Melchiore Cano : quorum de notione paulo est accuratius dicendum, et ad auctorum intelligentiam et ad ipsius tractationis perspicuitatem.

Sunt porro *loci theologici* fontes quidam generales e quibus omnia theologorum argumenta repetuntur, nomine desumpto ex analogia locorum rhetoricorum, qui sunt oratoribus instrumenta probandi vel sedes et quasi armaria argumentorum.

Porro locus theologicus proprius et quodammodo unicus est verbum Dei revelatum. Sed cum Deus nos non alloquatur immediate, debemus quaerere ubi sit verbum ejus; cum non videamus intuitive veritatem revelatam, immo nec scientiam habeamus revelationis infusam, comparanda est haec scientia humano labore et industria, ut in ceteris disciplinis, ac proinde

utendum iisdem adjumentis rationis, historiae, auctoritatis, cet. quibus utuntur ceterae disciplinae; atque ita theoria de iis etiam subsidiis ad locos theologicos refertur.

Est autem verbum Dei in Scriptura et traditione. Ipsa porro Scriptura sensusque Scripturae verus, sicut etiam verbum Dei non scriptum, in « depositorio divite » (Ecclesiam intellige) invenitur. Unde omnia reducuntur ad inveniendam et intelligendam doctrinam Ecclesiae.

Doctrina porro Ecclesiae unde haurienda sit dignoscitur attendendo ad singula magisterii organa. Quorum alia activa sunt, alia quasi passiva.

Activa sunt magistri authentici : Papa, Concilia, Episcopi os vel vox Ecclesiae, Ecclesia docens) : organum quasi passivum, plebs catholica (auris Ecclesiae, echo, Ecclesia discens).

Porro cum magistri authentici ipsi docere cunctos ubique non possint. per alios quasi per praecones id fiat oportet, e quibus praecipui sunt Theologi, Catechistae, Contionatores.

Cum vero una sit Ecclesiae semper fides et doctrina continueturque praesens cum praeterito, audienda etiam est vox antiquitatis Patrumque praedicatio : quae ad nos per monumenta potissimum pervenit. Sunt ergo monumenta necessaria ad cognoscendam veterum doctrinam; sunt eadem utilissima cum ad cognitionem tum ad exercitium magisterii nunc vivi et praesentis.

Atque ex iis apparet quinam futuri sint loci theologici *intrinseci* vel *proprii*.

Cum autem, ut dictum est, suae sint circa veritatem revelatam partes humano labori atque industriae, erunt etiam loci quidam *extranei,* qui theologiae proprii non sunt, sed aliarum etiam disciplinarum communes (ratio, philosophi. historia humana, etc.) — de quibus cf. Wirceb. disp. 3, c. 3.

E locis tandem proprie theologicis, qui omnes ad auctoritatem divinam referuntur, alii dicuntur *primarii*, et *ex se* necessarii (principia constitutiva et directiva) : Scriptura, Traditio, Ecclesia, Concilia, Papa; alii *secundarii,* qui non *ex se* nec propria virtute necessario probant, sed quatenus quod in aliquo loco primario continetur certo manifestant (principia adju-

vantia) : Patres, theologi. — Loci vero *extranei* sunt et vocantur *subsidiarii*.

42. 3. **De proprio scopo hujus partis ac ratione tractandi**. — Ex dictis intelligitur quis sit scopus proprius hujus partis. Dato quod verbum Dei est in Scriptura et Traditione, dato quod ad verbum Dei custodiendum, explicandum, proponendum institutum est a Deo magisterium authenticum et infallibile, quaeritur potissimum quo practice et concrete sit adeundum ut fidei doctrinam ediscas, quaenam sint organa et instrumenta magisterii sive audiendi sive dignoscendi, quae sit vis et quis usus singulorum.

Cum vero multa huc veniant quae satis ex alibi dictis pateant, hic pro scopo nostro ea tantum dicemus quae et magis practica sunt et alibi non traduntur. Non enim hic de theologica methodo ac disciplina (quo referitur doctrina de locis theologicis) inquirimus ; sed de deposito fidei et ejus transmissione, de organis magisterii vivi et de revelatae doctrinae fontibus ac criteriis.

Quae ad theologicam methodum ac disciplinam pertinent non est nostrae intentionis omnino omittere ; sed aptior erit, ut videtur, locus de iis agendi ubi ex professo quaeremus quid fiat verbum Dei dum traditur, qua ratione per humanam industriam excolatur et scientifice tractetur, quinam sit locus rationi in rebus fidei, ubi denique sermonem de scientia fidei habebimus.

Quae autem hic sumus dicturi, omnia fere ad examen auctoritatis et ad crisim argumentorum quibus utitur theologia, utuntur verbi Dei praecones, reducuntur. Nec mirum. Proprium enim sacrae doctrinae est, inquit S. Thomas, argumentari ex auctoritate, *Sum. theol.* 1 p. q. 1, a. 8; quam quaestionem vide, cum ibi multa dicantur quae ad rem nostram faciant.

Porro tota hac parte hoc pro principio habendum est ob oculos quod cum sit quasi anima totius hujus argumenti tum hic maxime utile est ut recte judices de iis quae dicentur, quod sic efferri potest : *Propria ratio existendi veritatis revelatae in Ecclesiae deposito est per vivam praedicationem et fidei pro-*

fessionem multiformem. Quam veritatem scilicet Ecclesia vivam servat et profert ut bonum suum sociale, conferens in corde suo vel conscientia sociali; monumentis autem utitur vel ad eam melius prout iis jam consignata est agnoscendam, vel melius in fidelium mentibus per ea servandam et exprimendam.

CAPUT II.

DE REVELATIONIS ORGANIS, FONTIBUS, CRITERIIS IN GENERE.

THESIS 7.

Ecclesiae magisterium ita est fons, organum, criterium veritatis revelatae ut cetera eo referantur et inde sint probanda. Est ergo Eclesia quodammodo unicus locus theologicus sive definitorum sive non definitorum.

Vide Wirceb. n. 73-75. Cf. Didiot, *Logique surnaturelle subjective*, p. 91 sq.

DECLARATIO PRAEVIA.

43. Sensus thesis est obvius. Quod dicitur de veritate revelata, valet etiam de ceteris quae ad infallibile Ecclesiae magisterium pertinent. Id autem magisterium intelligimus in concreto ex iis constare qui habent potestatem docendi a Christo acceptam, h. e. ex Papa Petri successore et ex Episcopis successoribus Apostolorum, atque ita ut audiatur vox Ecclesiae docentis plene ac perfecte, et cum Papa loquitur ex cathedra, et cum corpus Episcoporum, sive in Conciliis sive extra Concilium in consensu cum Episcoporum inter se tum cum romano Pontifice, aliquid docet ut ad fidem pertinens vel exercite praedicando vel signate definiendo; audiatur etiam, sed non plene et perfecte *per se*, cum docet Episcopus. Consensus autem theologorum et sensus christianus potest inducere in magisterii cognitionem, sed non est ipsum magisterium. Quanquam aliunde, ut videbimus, interest inter consensum theologorum et sensum christianum, cum ille consensus *vi propria* non habeat auctoritatem nisi humanam, sensus autem catholicus auctori-

tatem divinam immediate exhibeat : non potest enim Ecclesiae corpus errare in fide; quin etiam ea fides Ecclesiae finis est magisterii et ratio ultima cur sit id infallibile.

PROBATIO.

44. Thesis sequitur ex aliunde notis. Si enim spectatur *ipsa veritas,* haec tota, ut vidimus, deposita est apud Ecclesiam; si veritatis *cognitio,* Ecclesiae est eam custodire integram, promulgare, declarare. Vidimus enim non traditiones modo, sed etiam et Scripturam et doctrinam de Scriptura et doctrinam Scripturae esse repetendam ab Ecclesia custode et teste, magistra et interprete. Atque hinc :

a Definita ab Ecclesiae (Papae, Conciliorum) symbolis et professionibus fidei, canonibus, anathematis, condemnationibus, omnimodis denique definitionibus, petenda sunt. Definitum enim nihil est nisi quod Ecclesia definivit, aut, quod eodem redit, ab aliquo vel homine vel coetu definitum, suum ipsa sanciendo fecit.

b Non definita, vel a Scriptura, sed sub Ecclesiae magisterio, petenda sunt, vel ab Episcopis, Patribus, Theologis, Contionatoribus, Catechistis, cet. quorum tanta est auctoritas, quantum Ecclesiae docentis auctoritatem et magisterium authenticum vel efficiunt, vel exhibent, vel indicant. Cf. S. Thomam, 2. 2. q. 10. a. 12 et passim, collecta in *Science catholique,* oct. 1899, p. 980 sq. L'idée de l'Église au moyen âge. S. Thomas; cf. *ibid.,* juillet 1900, p. 685 sq.; Tertul. *Praescript.* 19, 20, 21 et passim; Vincent. Lirin. 2, 3, 8, 17, 20, 28.

SCHOLIA.

45. 1. Non negamus, immo affirmamus, aliam esse viam, inquisitionis sc. scientificae, tendendi et perveniendi ad eas veritates aut omnes aut multas. Sed ea quam paucorum sit, quam longa et difficilis, quam parum tuta vel ex eorum exemplo et erroribus apparet, qui detrectato Ecclesiae magisterio, solis suis viribus confisi, de iis rebus inquirunt et disserunt.

2. Hinc intelligitur quam recte dicatur in nostra formula

actus fidei : « Credo quidquid credit et docet sancta Ecclesia : » quod valet potissimum in definitis ; quam recte in non definitis enitamur « sentire cum Ecclesia ».

THESIS 8.

1. Monumenta traditionis sunt magisterio Ecclesiae subsidium connaturale et moraliter necessarium, sed subordinatum.

2. Quae tantum theologice valent quantum vivo Ecclesiae magisterio attestantur.

Cf. Franzelin, th. 13 et 14 ; Didiot, l. c., n. 195 sq. — Multa huc pertinent quæ scripsi in *Études*, 5 décembre 1904, *Histoire d'un dogme*.

DECLARATIONES.

46. 1. Monumenta ad quatuor genera revocari possunt : scripta, res. instituta, mores : quorum singulis multa continentur de quibus vide ll. citatos.

2. Sensus thesis obvius est modo meminerimus agi de inquisitione doctrinae divinae per Ecclesiam proponendae. Unde apparet haec monumenta dupliciter spectari posse : 1) *historice*, quatenus iis inducimur in cognitionem rerum praeteritarum ; 2) ut *media* ad dignoscendam doctrinam Ecclesiae. Apparet etiam quomodo sit vel ex eo capite locus scientiae humanae multiplici, philologiae, historiae ; locus proinde criticae ceterisque mediis comparandi scientiam praeteriti.

3. Thesis et per se patet, et jam demonstrata censeri potest ex iis quae de necessitate Scripturae dicta sunt. Par enim est hic rerum condicio, etsi non par est valor ipse monumenti. Hic ergo pauca, ad rei declarationem.

PROBATUR PARS 1. — *Monumentorum usus.*

47. *a*) *Medium connaturale et moraliter necessarium.* Duo sint argumenta :

1. Cum in omni societate exculta, tum maxime in societate religiosa — quae tota a praeteritis ita dependet ut eadem semper et ubique sit doctrina, iidem ritus legesque essentiales,

perfecta denique et locorum et temporum omnium conjunctio — et congruit et necessarium est ut adsint monumenta, quibus et praeterita et remota praesentia fiant, ne quid mutetur aut pereat, ut tenendorum agendorumque cognitio pateat, ut unitas procuretur et lex necessaria servetur, ut omnibus omnia facili sint aditu.

2. Cum in omni disciplina, tum maxime in veritate christiana quae tota traditionis auctoritate innititur, adsint oportet monumenta et ad conservandum integre incorrupteque amplissimum veritatis traditae depositum et ad cognoscendam explicandamque doctrinam uberrimam ac difficillimam, et, pro temporum opportunitate exortisque controversiis, ad vindicandam contra crimen novitatis, ad definiendam explicite secundum antiquitatis sensum, ad illustrandam summorum doctorum ingeniis conjunctisque multorum studiis.

Confirmatur. 1. Ex utilitate historiae dogmatis multiplici; 2. Ex eo quod ipsa fidei doctrina non sine progressu quodam est, ut videbimus; est autem haec una e legibus progressus ut quod unus adinvenit, id posteris transmittatur, et quidem auctum novis curis, novo labore perfectum.

b) Medium subordinatum. — Haec subordinatio est instrumenti ad opificem, libri ad magistrum, documenti ad historicum, cet.; et facile demonstratur, sive spectatur rei institutio et necessitas, sive cognitio veri.

N. B. — 1. Non adest paritas cum aetate patriarchali, neque institutio magisterii vivi excludit monumenta, immo importat.

2. Totam hanc thesim rite intelliges, si eamdem putabis esse necessitatem monumentorum in re dogmatica atque in ceteris disciplinis. Par enim est utrinque condicio, nec subducitur doctrina sacra necessitatibus humanis. Quanquam hic Deus providit ne quid necessarium periret aut corrumperetur, quod non fecit in ceteris rebus.

PROBATUR PARS 2. — *Criterium valoris theologici.*

48. Sequitur ex propositione praecedenti. Unde si plene ex monumentis eruitur talem fuisse doctrinam Ecclesiae docentis, certum habetur argumentum doctrinae divinae; sin probabiliter, probabile, etc.

SCHOLIA.

49. 1. In interpretatione monumentorum eaedem sunt nobis regulae quae ceteris. Unde cavendum est ne nostrorum temporum sensus modosque cogitandi veteribus tribuamus. Quanquam in ea re quoque non nullus est locus analogiae fidei, et potest doctrina praesens agnosci in veteribus formulis aut symbolis. Sic nemo catholicorum, quod sciam, erravit in inscriptione Abercii, quam Acatholicorum doctissimi paganam esse inscriptionem aliquandiu tenuerunt [1]. Sic in rebus potissimum liturgicis aut dogmaticis, praeteritorum intelligentia praesentis usus aut vivae fidei consideratione adjuvatur.

2. Praecipua monumenta sunt scripta Patrum; sed sunt etiam alia : picturae (ut B. Virginis imagines in Catacumbis, ut Eucharistiae symbola vel descriptiones), inscriptiones (ut Abercii, Augustodunensis, etc.), monumenta liturgica, etc.

3. Etiam scripta Paganorum vel haereticorum possunt esse auxilio. Sic Tertullianus suo modo primatui Sedis Romanae attestatur, cum invehitur in Papam Callistum. Sic Plinius aut Lucianus christianis dant testimonium.

THESIS 9.

1. Ubi constitit aliquid aliquando esse aut fuisse in fide et praedicatione Ecclesiae, certum est semper fuisse, saltem implicite, et doctrinam esse revelatam.

2. Hoc autem non modo argumentis directis et positivis de universali consensione, sed etiam aliter potest constare. (Cf. Franzelin, th. 14; De San, n. 188 sq.)

3. Atque inde sumendum est judicium de argumento praescriptionis et de canone Vincentii Lirinensis.

Cf. Wirceb. n. 74-78; Egger, *Enchiridion theologiæ dogmaticæ generalis*, Brixen 1893, n. 180 sqq.; Franzelin, th. 23 et 24; Schrader, th. 23-30; Bossuet, *Défense de la tradition*, l. 8, c. 1-8.

1. Hoc fere etiam nunc tenet Harnack. Aliud exemplum affert A. d'Alès, *Tertullien*, c. 6, § 4, p. 274, n. 5, et c. 9, § 8, p. 486-7, de errore circa *violationem templi Dei* apud Tertullianum, *Pudicit.* 16, quam multi exposuerunt de peccato in Ecclesiam, immemores sc. Apostoli, *1 Cor.* 6. 11. Cf. etiam de sensu formulae *Pompa diaboli* quæ contra S. Reinach habet P. Lejay, *Revue d'histoire et de littérature*, 1904 t. 9, p. 175-176, et A. d'Alès, *Revue de philologie*, janvier 1905, t. 29, p. 53-56.

DECLARATIONES.

50. 1. Dantur hic media quaedam practica dignoscendi num aliqua doctrina sit necne divinitus tradita. Fundamenta autem ipsa melius intelligentur cum tradetur doctrina de progressu fidei. Hic pauca. Dogmata alia fundamentalia sunt quae fere in symbolo Apostolorum, quod dicitur, continentur; haec semper fuerunt explicite in fide Ecclesiae. Atque huc referuntur etiam doctrinae practicae quaedam, ut de sacramentis. Alia fundamentalia non sunt, ut perpetua Mariae Virginitas aut Immaculata Conceptio; atque haec non necesse est fuisse semper explicite in fide Ecclesiae [1]; implicite semper fuisse ex eo constat quod Deus nihil novi, ut videbimus, mortuis Apostolis, suae Ecclesiae revelavit.

2. Hic, ut in toto hoc tractatu, supponimus Ecclesiam esse infallibilem.

3. Quid sit argumentum *praescriptionis*, cf. Freppel in *Tertullien*, leçons 28 et 29; A. d'Alès, *La théologie de Tertullien*, c. 5, § 4, p. 260; Hurter, *Selecta Patrum opuscula*, t. 9, p. 10. Nos in hac thesi pauca. De canone Vincentii Lirinensis multa Bossuetus ad Leibnitium; multa etiam temporibus Concilii Vaticani (infra); multa Newman, qui toto suo libro *Essay on the development of christian doctrine*, hujus canonis abusum per Anglicanos elidere, rectamque ejus intelligentiam promovere nititur. Cf. thesim W. S. Reilly, *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus, Étude sur la règle de foi de saint Vincent de Lérins*, 1902; item De San, n. 211-218.

4. Thesis, data doctrina de Ecclesiae infallibilitate et de proprio objecto magisterii, non tam probatione indiget quam declaratione. Hoc autem objectum quale sit non est hujus loci inquirere. Quod ad rem nostram satis est, cf. Const. *Pastor aeternus*, c. 4, E. 1680 : « Neque enim... »

PROBATUR PARS 1 DECLARANDO. — *Fides semper eadem.*

51. 1. Ecclesia est infallibilis et indefectibilis. Ut infallibilis,

1. Non est ergo validum semper argumentum ex silentio antiquitatis, vel ex hoc capite.

credere non potest nisi revelatum; ut indefectibilis, non potest non semper credere et credidisse, saltem implicite, omnia revelata. Ergo. — Cf. n. 132, 133.

2. Idem argumentis humanis confirmari potest. Nam, si non omnino in omnibus, at certe in plurimis, et *historice*, sive directe ex monumentis, sive indirecte per inductionem ex monumentis atque ex natura Ecclesiae, probari potest nihil unquam esse ab universa Ecclesia pro dogmate admissum quod novum esset aut post Apostolos inventum; — et *philosophice* evinci talis consensus in tali societate rationem sufficientem afferri nullam posse nisi ipsam ab Apostolis traditionem. cum, ut Tertullianus arguit, non erretur in unum. Cf. Franzelin, th. 10.

SCHOLIA.

52. 1. Non dicimus : « non potest definire aut docere nisi revelata; » scimus enim et conclusiones theologicas et facta dogmatica esse intra limites magisterii, ac proinde de iis etiam et fieri posse et factas esse aliquando definitiones. Sed hae definitiones sunt de re *tenenda* non proprie ut *credenda* (nisi *credere* dicatur etiam de illo assensu qui Ecclesiæ debetur definienti non revelata).

2. Non sequitur semper fuisse consensum explicitum de omni veritate revelata; immo non excluditur dissensus aliquis ad tempus, isque etiam tantus ut, si res mere critice spectetur, difficile sit invenire quis fuerit aliquando aliquo in dogmate sensus Ecclesiæ (nisi velis et hoc ad criticam pertinere, sicut vere pertinet, ut ratio habeatur de subsequenti consensu, quippe cujus aut vix ulla aut nulla alia potuerit esse causa quam ipsa rei veritas semper iis saltem confuse perspecta quorum est præcipue de hujusmodi rebus judicare). Exempla hujus dissensus afferri multa possunt : de canone Scripturæ (cf. Franzelin, *De Scriptura*, th. 12, 13, 14, 16), de Millenarismo (cf. Franzelin, *De Traditione*, th. 16), de Immaculato Conceptu B. Virginis (cf. inter multa, *Histoire d'un dogme*, in Études, 5 décembre 1904). Sed adverte non fuisse tantum dissensum de Infallibilitate Summi Pontificis.

3. Hunc dissensum in quibusdam ne perperam intelligas, N. B. Non potest tota Ecclesia aliud alias ut de fide tenere; non potest in veritate ulla aut jam definita aut ex iis quae credi semper explicite debent, dari divisio. In aliis apte distinguitur triplex stadium : fidei implicitae, ortae controversiae, pacificae possessionis in fide explicita. Cf. Franzelin, th. 23, et maxime n. IV, p. 290 sq.

4. Hinc intelligitur potuisse veteres iis in rebus errare quae postea definitae sunt, idque citra haeresim. Quanquam non omnes errare in re dogmatica potuerunt. — Error autem substantialis, etiam paucorum, vix admitti potest in iis articulis qui sunt fundamentales, quatenus negetur, exempli causa, esse in unitate divinitatis Patrem, Filium, Spiritum sanctum. Quantum autem cum recta fide cohaerere possit error in explicatione philosophica, res non ita facile definitur. Cf. Bellamy, *La théologie catholique au XIX^e^ siècle*, Paris, 1904, c. 5, p. 129.

5. Quae de dogmate dicta sunt, haec eadem practicis disciplinis applicari pro rei natura possunt. Atque ex hoc capite intelligi fortasse debet potuisse in *aliqua* ecclesia primis temporibus nondum constare de obligatione *distincte* confitendi *omnia* peccata mortalia post Baptismum commissa [1], modo stet ratum ac firmum quod in Concilio Tridentino definitum est, Sess. 14. c. 5. E. 779.

Atque haec paucis dicta sint et practice de ejusmodi rebus quae longam tractationem requirunt, si quis ea velit scientifice exponere et tueri.

PROBATUR PARS 2 DECLARANDO. — *Multiplex argumenti genus.*

53. Constat directe et positive de magisterio Ecclesiae si quid deprehenditur authentice doceri ut dogma Ecclesiae per Papam, per concilium oecumenicum, per *omnes* Episcopos dispersos; constat indirecte si quo alio modo potest evinci hoc magisterium adesse. Porro non modo illud obtinet, sed etiam hoc alterum multipliciter potest habere locum, v. g. :

1. Ut omittam multa fuisse incerta in definiendo quid esset pro *mortali* habendum.

— Si vel pauci Episcopi (quod olim in Augustino contra Pelagianos, in Sophronio contra Monotheletas factum vidimus)ita in campum pro aliqua doctrina descendant ut eos appareat quasi nomine Ecclesiae eam doctrinam ut doctrinam Ecclesiae defendere — quod nunc utique raro fiet sine Papae interventu;

— Si palam attestentur, nullo reclamante, eam esse Ecclesiae fidem;

— Multo magis si omnes Episcopi orientales convenerint, aut omnes occidentales;

— Item si theologi omnes aut contionatores diu aliquid esse in fide Ecclesiae doceant;

— Item ex Liturgia, ex praxi, ex jure, ex cultu totius Ecclesiae, etc.: quin etiam ex testimonio haereticorum, paganorum, etc. Et sic haec omnia ad scientiam theologicam suo modo pertinent. — Cf. Bossuet, l. c.

DECLARATUR PARS 3. — *Crisis Tertulliani et Vincentii.*

54. *a*) Argumentum *Praescriptionis*. A jure civili in theologiam a Tertulliano inductum, id a facto *possessionis* (aut etiam doli, juramenti, causae jam dictae, etc.) ita *excipit* ut ne audiatur quidem adversarius aut ei certe totum onus probandi incumbat. Sic facit multiplici modo Tertullianus in libro illo *de Praescriptione* adversus haereticos, eis aditum ad ipsam controversiam vel de Scriptura vel de aliquo dogmate praecludens multiplici exceptione *possessionis, unitatis, antiquitatis,* et si qua est alia.

Sed ne vis argumenti mere negativa videatur, adverte a facto hoc ad jus ascendi, pro dictis in prima parte thesis, ut et theologice et philosophice et historice valeat argumentum. Cf. Freppel, *Tertullien,* leçons 28 et 29.

55. *N. B.* — Ut hoc argumentum optimum est ac validissimum si eo recte utaris, ita cavendum est ne *praescriptionis* nomine ignorantiam tegas aut defectum argumentorum, ne illud temere usurpes aut legem evolutionis humanae negligas. Aliquando enim contigit ut praescriptio contra leges historiae et criticae malis causis in subsidium vocaretur. Theologi eam

ex professo non adhibent nisi in rebus fidei et morum, idque fere in solemnibus tantum casibus, ut in quaestione de sacramentis. Vix aliquis est Pater, ut videtur, qui praescriptione non sit usus aliquando contra haereticos, atque huc refertur celebratum Augustini axioma : « Quae non scripta sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri. » *Epist. 54,* ad Januar., n. 1, M. 33, 200.

56. *b*) *Canon Vincentii Lirinensis* hic est : « Id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. » *Commonit.* 2. De quo cum fuerint aliquando, ac nominatim in concilio Vaticano, controversiae aut dubia, paulo accuratius dicendum est.

Potest autem intelligi vel de norma fidei objectiva vel de directiva.

Si de norma *objectiva* intelligas, verum est, ut diximus. eamdem fuisse semper Ecclesiae fidem saltem implicite; verum non est de fide explicita, neque de constanti et unanimi consensu. Aliter : Si datur ille consensus, habes testimonium; sin secus, nihil.

Sin de norma *directiva* vel criterio veritatis revelatae, verum est non ad exclusionem regulae *extrinsecae* et *regulantis*, quae sit magisterium Ecclesiae, sed ad hujus regulae cognitionem et applicationem, atque ita quidem ut haec norma sit *aliqua* optima (intrinseca sc. et subjectiva) non ut *unica* — quanquam aliquo etiam sensu, saltem si praescindas a definitione papali, unica vocari potest, reductive sc. et in ultima analysi, — ita ut de hoc tandem debeat aliquo modo constare (nisi aliter sis verum assecutus), non ut cetera excludantur quibus huc perveneris.

Atque Vincentius videtur utramque normam complexive intelligere, objectivam et directivam, sed sensu *positivo*, non *exclusivo;* ut medium dignoscendi quid credat et doceat Ecclesia, non ut medium assequendi veritatem independenter ab Ecclesiae magisterio; ut criterium necessarium, quamdiu aliter non constitit de sensu Scripturae aut de magisterio Ecclesiae, non ut semper necessarium. Quasi diceret : « Tene

quod tota tenet Ecclesia. Sed nescis quid teneat, cum adsit nunc dissensus? Quaere quid antea tenuerit. Si, perpensis omnibus, vides totam consensisse aliquando in aliquid, id tene. »

Non opponitur ergo Vincentius Tertulliano; nec favet libero examini Protestantium, aut consensui universali Traditionalistarum.

Dices : At certe opponitur infallibilitati papali. Respondeo eum non recurrere quidem ad hoc medium omnium facillimum et maxime practicum ; id enim nec erat omnino, ut videtur, ad rem, neque id ferebant ea tempora quae Conciliorum potius fuerunt. Nihil tamen in hoc est contra papalem infallibilitatem, cum maxime ipse Vincentius, c. 6, Papam « cum ceteris, prae ceteris », indicet; hoc unum ad summum concedi potest nondum emersisse Vincentio dogma infallibilitatis papalis ut dogma distinctum ab ipsa praerogativa primatus [1]. — De canone Vincentiano cf. praeter Franzelin, Schrader, cet., *Acta Vaticana*, col. 289-290 ; de eadem re inter se disputant Bossuetus et Leibnitius, *Epistol.* 31, 32, 33, 35, 36, in *Recueil de dissertations et de lettres composées dans la vue de réunir les Protestants,* Œuvres de Bossuet, édit. de Versailles, 1816, t. 26, p. 349 sq.

SCHOLIA.

57. 1. *De magisterio disperso et de magistris authenticis* in consensu. — Jam diximus, n. 31, exerceri magisterium vel per episcopos in Concilio congregatos, vel per eosdem toto orbe dispersos, eosque etiam dispersos fieri quodammodo, ex sua sc. inter se et cum Papa conjunctione, infallibiles, ibid. ad 7. Hoc quomodo fiat diligentius est inquirendum, cum propter rem ipsam, tum quia inde melius intelligitur una e rationibus

1. Tota haec quaestio arto nexu connectitur cum iis quae scimus de vario modo spectandi Papam et papalem auctoritatem atque hujus auctoritatis exercitium. Illis videlicet temporibus Papa spectabatur potius ut *conjunctus* cum corpore episcopali, quasi in consensu; nunc contra. Cf. J. V. Bainvel, *L'Église, évolution du dogme*, in Études, janvier 1897, potissimum § IV.

ascendendi ad ipsum Ecclesiae magisterium, de quibus dictum est in 2 parte thesis.

Sunt porro infallibiles magistri authentici *in consensu*. Consensus vero ille dupliciter spectari potest, quasi in actu primo sc. et in actu secundo. Quod sic intelligi potest :

Ut Apostoli a Christo sunt instituti in unum collegium, eisque non ut singulis sed ut collegio data est potestas factaeque promissiones, ita de Episcopis eorum successoribus dicendum est. Atque, ut hic de docendi potestate agamus, cum Episcopus docet *in unitate Ecclesiae,* non ut solus et separatus docet, sed ut pars corporis moralis, ut una e vocibus Ecclesiae : eo loquente, auditur Ecclesia. Hinc fit ut Episcopus ita docens dicatur docere *in consensu.* Qui consensus ex unitate *subjecti* docentis intelligendus est, et prior est unitate *objectiva* doctrinae, ut causa effectu. « Unitatem ergo in docendi exercitio, inquit Palmieri [2] (1891), p. 201, praevertere debet unitas collegii, unitas corporis, ut nempe singuli agere illud possint quod est proprium totius. » Unde sequitur nullam esse docendi potestatem in Episcopo qui non in unitate Ecclesiae doceat. Cf. Palmieri p. 200, 201. Sequitur etiam non minus infallibile esse magisterium dispersum quam congregatum in concilio.

Cum autem singuli Episcopi sint vox fallibilis infallibilis Ecclesiae, haec manifesta sunt :

1. Si quo modo constitit certo Episcopum docere in consensu, auditur vox Ecclesiae infallibiliter vera.

2. Quamdiu non constitit dissentire Episcopum ab Ecclesia, assentiendum est assensu sc. ad auctoritatem proportionato) et obsequendum — quod de Theologo non valet.

3. Potest aliquando, non directe et per se, sed *illative* et *vi consensus perspicui,* unus Episcopus argumentum certum doctrinae revelatae efficere.

4. Hoc inter Papam et singulos Episcopos interest quod Papae ita assistit Spiritus Sanctus ut, cum ex cathedra loquitur, loquatur semper in consensu.

N. B. — Hoc idem quod de magistris est generatim dictum, Patribus applicari potest, sive quia Episcopi fere fuerunt, sive quia sunt aliquo modo ab Ecclesia approbati. Non quod Patres

sint proprie magistri *nostri*, sed quia sunt organum magisterii (ut fere si Episcopus aliquis americanus exponat doctrinam Ecclesiae). Cf. Vacant, *Le magistère ordinaire*, maxime § 5.

58. 2. *De munere testis et doctoris.* — Magisterii authentici duplex, ut vidimus, munus est, testis et doctoris (judicis enim et interpretis munus ad horum alterum refertur). Magistri authentici, ut testes, dicunt : sic audivimus, sic accepimus, sic credimus. Ut doctores, doctrinam acceptam non modo tradunt, sed ita tradunt ut declarando, explicando, apte proponendo, ratione et auctoritate confirmando, ab objectionibus vindicando, in audientium mentibus certam cognitionem, intellectionem quamdam, firmum assensum, pro virili parte, gignant vel praeparent ; hoc enim doctoris est. Cf. S. Thom. 1 q. 1. a. 8; *De magistro*, a. 1; et saepe.

Sunt igitur haec duo in magistris authenticis conjuncta; docendo enim testificantur et testificando docent. Cf. A. de la Barre. *La vie du dogme*, p. 88 sq. Falsum est ergo quod aliquando dicitur esse quidem infallibile Ecclesiae magisterium in testificando, non autem in docendo. Latius profecto patet munus doctoris quam testis, sed ratione auctoritatis nihil interest. Cf. Palmieri [2], p. 166 sq.

N. B. — Alio etiam sensu aliquando distinguitur *testis* a *doctore*, et quidem dupliciter :

1. Ut nomen *testis* auctoritatem *historicam* significet, nomen doctoris auctoritatem theologicam. Cf. n. 24, 3. Hoc sensu non Episcopi modo sunt *testes*, sed et privati, et etiam inimici atque haeretici. Quanquam soli Episcopi sunt testes *authentici*.

2. Ut nomen *testis* potius ipsam doctrinae traditionem significet, nomen *doctoris* conatum ad eamdem doctrinam *scientifice* intelligendam et excolendam. Sed diligenter advertendum est non esse adaequate distincta haec duo, ut ex iis patet quae de munere doctoris proxime dicta sunt; cavendum est igitur ne hujus distinctionis nomine abutamur ad eludendam omnem vim magisterii authentici. Quare aptior est distinctio et clarior inter doctorem *authenticum* et doctorem *privatum*, quae quidquid est utile in illa distinctione complectitur.

59. 3. *De distinctione inter doctorem authenticum et doctorem privatum.* — Haec distinctio non modo in variis personis (quod jam saepe diximus), sed etiam in eadem persona locum obtinet. Potest enim Papa vel Episcopus docere etiam nomine proprio, ut simplex theologus, atque sic facere se testatur Be-

nedictus XIV in libris etiam quos Pontifex edidit. Tum non intervenit per se auctoritas Ecclesiae. Practice autem non semper facile est scire utrum velint aut faciant Patres, cum haec duo saepe in unum misceantur. Res tamen ut plurimum fieri potest, sive ex modo loquendi, sive ex materia subjecta. Cf. Gonthier, *Études,* avril 1892, t. 55, p. 564.

60. 4. *De objecto magisterii* (quatenus inde deduci potest argumentum ad dignoscendum utrum aliquis doctor *suo an Ecclesiae* nomine loquatur). Haec adverte :

a) Ad id non pertinent sola revelata, neque solae res fidei et morum, sed etiam interpretatio Scripturae, conclusiones theologicae, quin etiam indirecte, non vero directe, humana connexa cum fide et moribus; quidquid denique necessarium est ad depositi custodiam, defensionem, aptam propositionem.

b) Non potest rejici aliqua Ecclesiae doctrina eo quod haec sit extra ambitum magisterii, ut fecit Canus de immaculato conceptu B. Virginis. Soli enim Ecclesiae competit judicare de ambitu et exercitio suae potestatis ; ipsa vero, vi infallibilitatis, neque in ea definienda errare, neque ejus usu abuti ad malum aut ad falsum, supremae auctoritatis actu, potest.

c) Ubi magistri authentici aliquid docent, non statim sequitur id esse magisterium Ecclesiae. Nam aliud est doctrina tradita, aliud ratio tradendi doctrinaeque vehiculum. Porro in ratione tradendi humanis instrumentis utuntur magistri, non modo sermone et oratione temporum suorum, sed etiam doctrinis, scientiis, philosophia, opinionibus (in quibus omnibus inesse falsitas potest). Multa etiam saepe afferunt, non rem ut divinitus traditam asserendo, sed inquirendo, opinando, conando, multa ornandi causa, cet. : quae non sunt doctrinae fructus sed flores aut folia, non cibus spiritualis sed ejus condimentum. Atque in hoc magnum est discrimen inter magisterium vivum et Scripturam. Hic cum totus liber sit inspiratus, error omnis absit necesse est; illic non item, neque assistentiam suam promisit Deus nisi quatenus necessarium est ad ipsum finem magisterii. Hinc si quid est doctrinae alicui de fide et moribus divinitus traditae quasi intrinsecum aut cum ea necessario connexum (ut verba quibus exprimitur aut notiones sine quibus

intelligi non potest), ad id promissa est assistentia divina ; si quid autem neque ipsi doctrinae est intrinsecum neque cum ea necessario connexum, ut sunt illustrationes, comparationes ex rebus humanis, accommodationes Scripturae, omnia denique dicendi ornamenta vel docendi subsidia, in eo potest error obrepere pro dicentis scientia et opinionibus. Potest ergo Ecclesia notiones dogmaticas, ut personae, naturae, substantiae, potest verba dogmatica authentice proponere et imponere (ut facit in factis dogmaticis); scientiam humanam aut placita philosophorum, *qua talia,* non potest.

d) Hinc quaerenti num argumenta magistrorum aut explicationes philosophicae ac scientificae fidem postulent, respondetur distinguendo : Si sunt et ipsa doctrina Ecclesiae, postulant; si non sunt nisi doctrinae vehiculum, ornatus, explicatio privata, non postulant. Utrum autem sint, ex natura rei, ex circumstantiis, ex modo loquendi, ac potissimum ex sensu Ecclesiae dignoscitur.

e) Potest tandem evenire ut Papa vel Concilium, dum punctum aliquod volunt solemniter definire, addant etiam, et quidem auctoritative, explicationes aut declarationes quasdam quas non intendunt suprema auctoritate sancire. Tum magna sane est earum rerum auctoritas, non est ea tamen infaillibilis.

CAPUT III.

DE ORGANIS, FONTIBUS, CRITERIIS VERITATIS REVELATAE IN SPECIE.

De tribus tantum dicemus ex professo : de Patribus, de Theologis, de sensu fidelium. Nam cum de Papa, de Conciliis, de Episcopis et alio loco soleat tractari et facilis sit quaestio vel ex dictis vel ex dicendis, ea tria et praecipua sunt, et ad quae cetera fere revocentur (ut de Contionatoribus, Catechistis, libris asceticis, liturgicis, mysticis).

THESIS 10.

1. Consensus Patrum in rebus fidei et morum unanimis certum est divinae veritatis argumentum.

2. Patrum singulorum auctoritas, etsi non est infallibilis, magna tamen est in re theologica, et ea quidem in aliis major in aliis minor, aliquando etiam pro rei diversitate diversa.

Conferri possunt ii fere omnes quos initio attulimus : Wirceb. n. 207 sq.; Franzelin, th. 14, 15; Schrader, pars altera, c. 5, § 1; Perrone, *De locis theol.*, pars 2, sect. 2, c. 2, § 6, n. 450 sq. t. 4, p. 508 sq.; Palmieri [2], p. 197 sq.; Pesch, n. 572 sq.; Egger, n. 180 sq.; Mazzella (de Ecclesia), p. 276 sq.; De Groot, q. 18; Didiot, p. 152 sq.; Scheeben, § 26, p. 256 sq.; De San, c. 8, 9, 10, n. 154-240. Vide etiam Gonthier, *Études*, avril 1892; de la Barre, *La vie du dogme*, p. 103 sq.; Salvatore di Bartolo, *Nuova Esposizione dei criteri teologici*, Rome, 1904, *criterio VIII*, p. 220-230. Multa de ea re S. Thomas, passim, potissimum *Contra errores Graecorum*, l. 1; multa Bossuetus passim, potissimum in *Défense de la tradition et des Saints Pères*. De eadem re solent fere tractare in Introductionibus suis scriptores Patrologiarum; cf. v. g. Fessler-Jungman. Pauca Mabillon, in Praefatione ad *Opera S. Bernardi*, § 2, n. 23, M. 182, 25; utilia Petau, *Dogmata theologica*, Prolegom. c. 2.

DECLARATIONES PRAEVIAE.

61. 1. *Nomen Patrum*, ut ex N. T. apparet, ab usu Judaeorum in Ecclesiam venit. Rationem nominis exprimit Paulus cum dicit : Filioli mei, quos iterum parturio, etc. *Gal.*, 4, 19, cf. 1 *Cor.*, 4. 15. Sicut enim singulorum sunt patres spirituales qui ad fidem et gratiam genuerunt et aluerunt, sic habet Ecclesia suos. Unde fit ut hoc nomen aliquanto latius saepe usurpetur ad significandos eos qui in aliqua societate antea fuerunt.

Porro nomen hoc diu de Episcopis potissimum dictum est — ut etiam nomen *Papae* — qui usus in conciliis superest; saepe etiam de Episcopis temporum praeteritorum; aliquando de antiquis scriptoribus ecclesiasticis sive Episcopi fuerunt sive non fuerunt.

Sed sensu strictiore, qui quasi publicus est in Ecclesia, *Patres* dicuntur ii scriptores ecclesiastici qui haec quatuor habent :

Doctrinae praestantiam et orthodoxiam, vitae sanctitatem, temporis antiquitatem, Ecclesiae approbationem.

Orthodoxiam non tollit omnis error, modo mens adsit catholica et mors in Ecclesiae communione, sicut nec vitae *sanctitatem* omnis culpa.

Antiquitas dicitur relative; unde non ultra Bernardum certe Patrum aetas perducenda est; immo melius Gregorio Magno et Joanne Damasceno clauderetur, siquidem post eos jam adoleverat Ecclesia (universalis sc.) : sic Pesch, n. 574; sic multi Patrologiae scriptores non ultra Damascenum et Isidorum.

Approbatio Ecclesiae neque una est neque uno modo data est. Cf. De Groot, t. 2, p. 278. Distingui autem potest triplex : *generalis* (negativa vel positiva), *specialis*, *specialissima* (ut Augustini in controversia Pelagiana, ut sancti Thomae in genere). Vi hujus approbationis, cujuscumque generis ea fuit, agnovit eos Ecclesia saltem practice pro magistris authenticis, sive Episcopi fuerunt, sive presbyteri aut laici, et quodammodo pro Theologis suis.

2. *Doctoris* nomen, si sensu presso sumitur, a nomine *Patris* differt, triplici potissimum ex capite :

a) In doctore non requiritur antiquitas (cogita S. Alphonsum de Liguorio).

b) Requiritur ad hunc titulum fulgor quidam doctrinae, major quam in Patre.

c) Requiritur solemnior quaedam Ecclesiae approbatio, quanquam non fuit semper hujus approbationis forma, ut nunc est, definita.

Inter Patres autem multos eminere doctores compertum est, et quidem potissimum 4 orientales et 4 occidentales. Plura Didiot, l. c.

3. Quae sint capita patristicae doctrinae, dicunt Wirc. n. 209; tradunt iidem brevem indicem scriptorum ecclesiasticorum cum operum enumeratione aliisque utilibus indiciis, p. 405-433. — Patres et Doctores in ordines quosdam diligenter distribuit brevique judicio laudat Didiot, p. 153 sq. Plura de ea re tradere nostrum non est.

4. Dicitur in thesi *consensus unanimis,* moraliter sc. De quo quomodo etiam indirecte et illative constare possit, facile infertur ex dictis n. 53; cf. Franzelin, th. 14. Cf. Vinc. Lirin. c. 29 et 30 (M. 50.682). Nos clarius postea et pressius.

Dicitur *in rebus fidei et morum,* includendo etiam connexa cum fide, ut de objecto magisterii ecclesiastici dictum est.

5. Thesis certa est et cum fide connexa, partim etiam definita (de interpretatione Scripturae, cf. E. 668, 864, 1637).

In ea re errarunt Protestantes cum Patrum auctoritatem aut nullam aut mere humanam dicerent — et satis consequenter ii quidem; cum enim Ecclesiae magisterium non admittant, Patres iis esse non possunt nisi testes humani, qui *sua*, et ea quidem humana tota, auctoritate valeant, cum nobis contra sint vox Ecclesiae infallibilis. Sic Dallaeus in libro *De usu Patrum*, 1646 : cf. Petau, l. c.; sic Pedezert nostris temporibus : cf. Gonthier, l. c. Alii nimium singulis Patribus, vel certe aliquibus, ut Augustino Janseniani, tribuerunt, cf. E. 1187.

PROBATUR PARS 1. *Consensus Patrum.*

62. 1. *Ratione theologica.* Patrum consensus unanimis exhibet Ecclesiae magisterium. Ergo. *Prob.* Antec. Vivi, vel fuerunt magistri authentici (ut Episcopi), vel certe scripserunt et docuerunt in facie Ecclesiae, probante Ecclesia; mortui, ab Ecclesia probati sunt, indicati sunt ut fontes puri verae doctrinae; ipsi et aequales suos et posteros docuerunt; in eorum sententia quaerit et agnoscit Ecclesia doctrinam revelatam. Ergo eorum doctrina doctrina est Ecclesiae authentica. Cf. P. de la Barre, 1 p. c. 3.

Aliter : Patres exhibent doctrinam Ecclesiae veteris. Atqui doctrina Ecclesiae semper est eadem. Ergo exhibent doctrinam Ecclesiae praesentis, magisterii vivi.

N. B. — Adverte hic spectari Patres potissimum ut sunt doctores et vox Ecclesiae; par est vis argumenti si spectentur ut *testes* authentici, ut *custodes* depositi, ut *canales* veritatis revelatae.

2. *Humana* eorum *auctoritas* tanta est ut fidem historicam mereantur tot et tanti *testes*, tali indole et ingenio, talibus in adjunctis, tali plurimorum et diversissimorum in idem consensu. Cf. Augustinum *Contra Julianum*, l. 2, n. 37, Migne 44.700 (apud Pesch, n. 577); Tertullianum, *Praescript.* 28 : « Ecquid verisimile est ut tot ac tantae (Ecclesiae) in unam fidem erraverint? » Cf. quae diximus supra de duplici auctoritate magisterii, n. 24, schol. 3; item n. 52.

3. *Ecclesia* semper *professa est* doctrinam suam Patrum esse doctrinam. Ergo. Ad Antec. cf. Wirc. n. 216; Pesch, n. 276; E. 218 sq. 243, 245, 272, 283, 1511, 1515. Item *practice*, ubi dubium exortum est, adit Patres : sic Ephesi; sic in Constantinopolitano III, actione 7 et 8; sic saepe.

Atque eadem indicatur via saepe a Patribus (historice sc. Patres hic appellamus). Sic facit Augustinus *Contra Julian.* l. 1, n. 30, 31, M. 44. 661; l. 2, n. 37, M. 44. 700 sq.; — Cyrillus Alexandrinus *Apolog. pro 12 cap. anathem.* 8, M. 76. 350; Vincent. Lirin. c. 3 sq. et 29, M. 50. 640 sq. et 677. Cf. Canum, l. 7, c. 3; Pesch, n. 577.

PROBATUR PARS 2. *Patres singuli.*

63. *a*) **Non sunt singuli infallibiles.** — 1. *Assistentia* Spiritus sancti, ex qua sola est infallibilitas, non singulis Episcopis, non singulis magistris in Ecclesia, sed collegio Episcoporum et magisterio Ecclesiae promissa est.

2. Multi Patres in rebus etiam fidei *errarunt :* Justinus, Irenaeus, Cyprianus, cet. Quin etiam vix unus afferri potest qui non in aliquo erraverit. — Item saepe est inter eos dissensus. Ergo.

3. Ipsi *Patres* et *se* et *alios* fallibiles *putant :* Augustinus ad Fortunatianum, *Epist.* 148, n. 15, M. 33. 928-9; idem de Cypriano, in libro *de Baptismo* l. 2, c. 4, cf. l. 1, c. 1; l. 2, c. 14; l. 5, c. 25; l. 6, c. 3, Migne 43. 129, 109, 138, 194, 199; — *Epist.* 93, n. 40, M. 33. 340; idem ad Hieron. *Epist.* 82, n. 3, M. 33. 277; *De dono persever.* c. 21, n. 55, M. 45. 1027. Vide Pesch, n. 589, 592; Wirc. n. 214. — Cf. Lirinensem passim, vg. c. 3, sq., c. 23 sq.; Augustinum, l. 3 *de Trinit.*, n. 2, M. 42. 869; Anselmum, cum saepe alias, tum in libro *de Fid. Trin.* prooem. ad Urbanum papam; S. Th. saepe, vg. 1 q. 1, a. 8 ad 2; 2.2, q. 10, a. 12, cet. Vide Franzelin, th. 15; Melch. Canum, l. 6, c. 3.

4. Damnata est propositio qua nimium tribuebatur Augustino, E. 1187.

64. *b*) **Magna tamen est eorum auctoritas.** — 1. Ex ratione *Patris.* Talis sanctitas, doctrina, approbatio Ecclesiae, magnam auctoritatem facit. Atqui haec tria sunt in iis omnibus magna, non tamen in omnibus paria, sed vel pro personis vel pro rebus diversa. Ergo.

2. *Ex eorum munere in Ecclesia.* Multi ex iis fuerunt Episcopi, aut ab Episcopis ad docendum electi ac probati. Ergo.

3. *Ecclesia* magni eos facit et semper fecit. Hinc eos, quantum potest, immunes ab errore ostendit, eos veneratur. Sic in Concilio Constantinopolitano III, sic in Nicaeno II, etc. — Damnat eos qui non satis deferunt Patribus, E. 1511, 1515.

65. *N. B.* — 1. Praecipua documenta Ecclesiastica de auctoritate Patrum vide in E. 668, 864, 1637 (de Scripturae interpretatione); 218-221, 243, 245, 272, 283, 1511, 1515; cf. 1187.

2. Praeter eorum auctoritatem objectivam, accedit reverentia filialis in patres, in seniores. Fit certe fere ut quantum quisque in auctoritatem Ecclesiae afficitur, ita pronus sit in dicta Patrum. Cf. Bernard. *De erroribus Abaelardi* c. 5, M. 182. 1062 sq. Quod ita dicimus ut tamen sua sint etiam criticae jura, sua veritati.

SCHOLIA.

66. 1. Ut Patres agnoscimus fallibiles, sic eos errasse, ubi veritas postulat, candide fatendum est. Erraverunt vero vix non omnes in aliquo, aliqui etiam aliquando graviter. Tamen in rebus majoris momenti non facile est admittendum fuisse dissensum inter Patres, etsi fortasse alii aliter loquuntur. Item neque singulorum error. Pesch, 591. Hinc si quid semper fuit in fide explicita Ecclesiae, si quid alicujus Patris temporibus communiter tenebatur, « sermonem dubium mens non dubia obumbrat ». Ambros. *Epist.* 48. 4, Migne 16. 1152. Atque hoc perpendendum est antequam objicias v. g. Patribus antenicaenis verba quaedam minus propria, minus caute dicta, quae ipsi vel bono sensu exposuerunt, ut Dionysius Alexandrinus dictum illud suum « Filium esse ποίημα Patris », apud Athanasium, M. 25.510, vel certe exposuissent si futurum errorem essent suspicati[1]. Atque ita Patres inter se vel exponunt vel excusant, ut Augustinus Hilarium *De Trinit.* l. 6, n. 11, M. 42. 931; Chrysostomum *Contra Julianum*, l. 1, n. 22, M. 44.655. Cf. Franzelin, th. 15, n. III, 2, p. 187-189.

Porro in ea re duplex est agendi ratio, altera theologorum fere, altera potius criticorum quae dicitur et historicorum (*theologicam* illam dicunt aliqui, hanc *criticam* aut *historicam* nomine non satis proprio, quasi non esset critica illa theologorum, esset autem haec historicorum agendi ratio, aut quasi

1. Utrum et quantum ex iis singuli de rebus ipsis erraverint non est nostrum hic definire. Hoc enim non fit quasi a priori vi principiorum, sed diligenti examine sententiarum et circumstantiarum.

esset inter vere criticam et vere theologicam veri nominis oppositio[1]. Illa aegre deserit Patres vel errasse concedit; quantum potest, ad concentum reducit fidemque posteriorum in prioribus quaerit: consensum facilius quam dissensum admittit et substantialem doctrinae unitatem sub verborum diversitate: multum sc. principiis theologicis in Patrum interpretatione tribuit. Altera fere contra in omnibus: nihil esse theologiae cum critica, esse Patres philologice et historice non secus ac Ciceronem vel Homerum interpretandos. Atque hinc lites non paucae jam a temporibus Bernardi et Abaelardi. Hinc controversiae inter Bossuetum et Richard Simon, passim; item nostris temporibus inter Duchesne et Rambouillet, novissime inter Turmel et multos. Porro illinc periculum est ne ipsos Patres non satis adeas aut non satis scientifice ac directe inspicias[1], ne differentias temporum evolutionemque historicam negligas, ne praesentia veteribus immisceas; hinc ne accidentales differentias sectando substantialem consensum non videas, ne litterae nimis inhaerendo rem ipsam non intelligas, ne exstincto lumine quod extrinsecus ex earumdem apud alios idearum alia dicendi ratione accedit et ex aliorum interpretatione, propria et singularia pro veris afferas. Utrumque ergo ita miscendum et temperandum est ut et theologica interpretatio criticae vel historiae lumine illustretur, et critica theologicorum principiorum non negligat subsidia. Cf. Bellamy, *La théologie catholique au XIX^e siècle, Introduction,* p. XLIX sq. et c. 5, III, p. 128, 135; R. de la Broise, *Bossuet et la Bible*, c. 10: L. de Grandmaison, *Théologiens scolastiques et théologiens critiques,* in *Études*, janvier 1898, t. 74, p. 26; Batiffol, in *Quinzaine,* 16 nov. 1897. Cf. etiam Margival, *Richard Simon,* 1900; sed is durius et iniquo animo in *traditionistas.*

67. 2. Si quis Pater in aliqua controversia quasi nomine Ecclesiae loquitur et ab ipsa Ecclesia quasi vox Ecclesiae accipitur, ut Athanasius contra Arianos, Cyrillus contra Nestorium, Augustinus contra Pelagianos, is, quod rei caput at-

1. Cf. Th. de Régnon, *Études de théologie positive sur la sainte Trinité,* 1892, t. 1, *Introduction,* art. 1, § 1, et art. 4; item *Étude* II, c. 1.

tinet (non autem in quaestionibus incidentibus, cf. E. 97), Ecclesiae fidem exhibere censendus est. Vide Franzelin, th. 14. Hic major est quodammodo auctoritas *testis* quam *doctoris*, cf. n. 58.

68. 3. Si Patres, etiam plurimi, etiam in rebus fidei, ut privati doctores loquuntur, si inquirendo, si opinando, si dubitando, non possunt haberi ut vox Ecclesiae certa et authentica. Quod saepe fit dum interpretantur Scripturam. Eorum enim interpretatio potius humana in hujusmodi casibus, quam dogmatica dicenda est. Unde fit ut recentiores interpretes, etiam cauti et catholici, ab eorum interpretatione vix non unanimi aliquando recedant, ut Is. 53. 8 : *Generationem ejus quis enarrabit?* — Atque id eo facilius fere obtinet quo magis a rebus fidei et morum ad res alias receditur, ut in diebus genesiacis, in *Genes.* 6, 2-4 (de gigantibus), in *Josue* 10. 13. — Quin etiam si locus aliquis Scripturae aliqua sui parte ad rem dogmaticam pertinet, aliqua meram historiam exhibet, non videtur repugnare ut error in eo quod est historicae interpretationis obrepat, modo remaneat in alia interpretatione historica id quod est dogmaticae veritatis. Sic quod narratur *Genes.* 7. 2, 13, 23, vim habet dogmaticam ex 1 *Petri*, 3, 20 ; non tamen inde potest evidenter inferri non potuisse Patres in eo errare, ita ut inde sequatur omnes omnino homines periisse diluvio, nisi illa omnium omnino ruina ostendatur necessaria esse ut fundamentum sensus spiritualis — de quo vix ante quidquam potest constare quam de genuino sensu textus biblici constiterit. Cf. Pesch, n. 583-587.

Huc accedit quod saepe Sancti Patres potius « sermonem exhortationis » ex libris haurire intendunt quam exegetice rem tractare.

69. 4. Ex dictis etiam intelligitur quantum sit Patribus in doctrina scientifica deferendum. Major autem est eorum auctoritas in exegesi, etiam mere scientifica, Scripturae quam in explicatione naturae. Unde utile est saepe discernere utrum exegetice agant, an sententiam quam evolvunt explicatione extrinsecus petita conentur illustrare.

70. 5. Num quaestio aliqua magisterii ambitu contineatur saepe non possumus solis rationibus et a priori definire, aut si possumus, non facile possumus; item num res proponatur ut ad fidem pertinens. Videndum ergo est quis sit in ea re sensus Ecclesiae, et ejus judicios tandum. Cf. Pesch, 582.

71. 6. Ex iis similibusque principiis solvendae sunt difficultates quae contra thesim afferuntur vel ex factis vel ex dictis Patrum. Exempli causa possunt afferri : Chiliasmus Patrum antenicaenorum : Cf. Franzelin, th. 16, Pesch, 584; Subordinatianismus, qui dicitur, eorumdem et doctrina de λόγῳ προφορικῷ vel ὑπουργῷ, de Verbo ut factura Patris, etc.; necessitas Eucharistiae, etiam relate ad parvulos; doctrina de Gigantibus, de corporeitate Angelorum, animarum: doctrinae eschatologicae, de canone Scripturae etc... Cf. De San, c. 10, n. 224-240.

Item testimonia Patrum aut Doctorum contra hujusmodi auctoritatem ut Tertulliani *de Praescript.* 3 « probari personas ex fide », Augustini et S. Thomae, apud Pesch 589).

N. B. — Hae et similes controversiae saepe agitatae sunt, nec agitari desierunt. Cogita controversias Bellarmini et ceterorum cum Protestantibus, Bossueti hinc cum Protestantibus, illinc cum Richard Simon, Catholicorum diebus nostris hinc cum Rationalistis, illinc inter se.

72. 7. *De usu et interpretatione Patrum.* — Quanta sit utilitas Patrum et theologo et oratori sacro et multis aliis, perspicuum est.

In iis autem interpretandis, ut alibi, valeat oportet sana critica et recta hermeneutica. Cf. Wirc. 218-220. Adde regulas extrinsecas, ex dictis :

a) Nunquam alius erit alia aetate consensus in re fidei; quin etiam consensus posterior oriri non potuit si jam apud priores non fuerunt saltem aliqua ejusdem doctrinae semina et quasi anticipationes: unde fit ut lux interpreti accedat ex doctrinis quae postea factae sunt communes — ut fere dictum est de Scripturae interpretatione secundum magisterium vivum. Cf. Newman, *On the development of Christian Doctrine, Introduction*, n. 8-20 (cogita eum arguere *ad hominem* contra Anglicanos *mediae viae*).

b) Vix aut ne vix quidem admitti potest error, etiam unius, in re explorata et doctrina Ecclesiae explicita : quid enim, quaeso, interesset inter doctrinam hujus Patris et doctrinam haereticam? Atque hoc intelligi debet non modo de verbali, ut ita dicam, dogmatis praedicatione, sed etiam de sensu dogmatis et ea rei quae praedicatur intelligentia sine qua non haberetur veritas praedicationis. Quod quantum importet etiam veritatem ejusmodi explicationis quasi scientificae qua mens conatur « intelligere quod credit », difficile est definire. Hoc videtur posse concedi :

Stare posse hanc veritatem praedicationis cum conceptibus confusis et minus limatis vel ipsius rei, vel nexus rerum inter se;

Posse in declarationibus etiam obrepere aliquid erroneum, modo agatur de declarationibus quae et extrinsece se habeant ad veritatem dogmaticam et non importent necessario falsam dogmatis intelligentiam, cf. n. 60. 4. c.

Plus sane non requirunt facta ; plus non videtur pati praerogativa Ecclesiae docentis.

c) Patres saepe non sunt ad verborum rigorem intelligendi. Non enim scholastice et didactice plurimum, sed aut oratorie et emphatice, aut polemice et *ad hominem* loquuntur. Unde fit ut pro re nata ipsi sibi contrarii saepe videantur. Videndum est ergo quid hic et nunc velint inculcare, cum quibus agant, quem errorem impugnent, etc.

Etsi enim *in eo quod dicunt* veritatem aliquam absolutam sectantur et exprimunt, idque non negative modo sed etiam positive, *in modo tamen dicendi* saepe aliquid habent relativum ; unde interpreti potius videndum est quid res ferat, quam quid sonent verba. Atque id apud eos maxime valet qui vel oratorie vel rhetorice solent maxime agere, ut sunt Chrysostomus, Tertullianus, Hieronymus, Augustinus.

73. 8. Secundum haec et similia judicandum fere est de valore argumenti theologici ex Patribus desumpti. Argumentum enim tum valebit :

a) Si neque textum a contextu, neque unum opus ab altero et a tota doctrina, neque unum Patrem a sua aetate, regione, ceterisque adjunctis separabis.

b) Si cogitabis vix unquam fuisse iis in mente ut quaestiones postea exortas aut subtiliores Scholasticorum controversias, ut de modo causandi sacramentorum, de modo unionis hypostaticae, sive dirimerent sive etiam agitarent. Quanquam saepe ex eorum ratione loquendi intelligi potest aut conjici quomodo ipsi rem conciperent, ac proinde probabile duci argumentum.

c) Si vel pauca testimonia ita adduxeris ut qui allegatur conjunctus aliquo modo exhibeatur cum Ecclesiae doctrina vel sui temporis vel praeteriti, vel etiam sequentis, ut sc. vere sit *testis* Ecclesiae. Cf. Wirceb. 221-222; Vincent. Lirin. c. 4 et passim.

d Si non miscebis aut confundes inter se auctoritatem testis historicam, doctoris authenticam, privati propriam: item si distingues quid quisque docendo et asserendo, quid inquirendo, opinando, philosophando dixerit.

75. 9. Hinc apparet:

a) Patres, ut ad veram dogmatis historiam et intelligentiam sunt utilissimi, ita non bene intelligi sine aliquo sensu dogmatis et historica cognitione traditionis dogmaticae;

b) Ut scholastica sine Patribus non sufficit (sicut nec vivit arbor, nec floret, nec dat fructum ubi est a terra aut a radicibus excisa), sic non bene intelligi Patres, quin etiam non sine periculo fere tractari, eos maxime qui plurimum ingenio et doctrina valent, nisi solida Scholasticae fundamenta jeceris et vivam Ecclesiae doctrinam alte in animo infixeris, si maxime uno te Patre vel tempore vel regione quasi concluseris excluso penitus omni lumine quod extrinsecus infundatur, si mere historice ita rem tractaveris ut et aliquem e Patribus quasi extra flumen traditionis ad studendum traxeris et tu solus omnia pro tuo captu et ingenio neglectis auctoritatis, aliorum interpretum, doctrinae subsequentis subsidiis interpretari et dijudicare volueris. Exemplo sint in maximo omnium Patre, Augustino, non modo Lutherus et Calvinus, qui Augustinum totum esse suum effutiebant, sed et Baius et Jansenius, unum Augustinum secuti, sua sensa et errores in ejus verba et formulas insperserunt; atque recentiorum nemo fere est — inter Catholicos dico — qui non suis placitis patronum induxerit Augusti-

num. Sunt scilicet S. Patres in luce praedicationis ecclesiasticae collocandi et inspiciendi; et ut tota eorum auctoritas est ab eorum connexione cum Ecclesiae magisterio, ita non facile putandum est eos aliquid admisisse ab Ecclesiae magisterio alienum. Cf. n. 39.

76. 10. Quomodo sit utendum Patribus, quo pacto explicandi, quo animo, si necesse sit, emolliendi aut deserendi, egregie docent et exemplo et doctrina Augustinus ac sanctus Thomas. Cf. inter cetera libros Augustini contra Julianum Pelagianum, et ea quae passim habet vel de Tertulliano vel de Cypriano (contra Donatistas). Item opusculum S. Thomae *Contra errores Graecorum,* in proemio et passim; Sum. theol. 1 p. q. 1, a. 8; q. 61, a. 1; 2. 2, q. 10. a, 12; 3. q. 27, a. 4. Quomodo is eorum medullam exprimat, exemplo sunt potissimum ii loci ubi explicat congruentias vitae et mysteriorum Christi, 3 parte passim, vg. q. 1. a. 2; q. 46, a. 4; q. 44, a. 1 et 3.

Utilia de eadem re Bossuetus et theoretice et practice, vg. *Lettre au Cardinal de Bouillon* (ad Contionatores); *Défense de la Tradition et des Saints Pères; 6e Avertissement aux Protestants* (ad Theologos). Conferri etiam utiliter potest Petavius, *Dogmata theologica*, passim, vg. in praeambulis ad totum opus. in Praefat. ad libr. 2 de Trinitate; P. de Régnon, *Études sur la Trinité,* passim; auctores multi Patrologiarum.

THESIS 11.

1. Unanimis et constans scholae consensus in re fidei et morum certum est divinae revelationis aut veritatis argumentum;

2. Auctoritas autem scholae *propria* tanta est ut ab ea sine probabili rationi recedere in re theologica notam theologicae temeritatis mereatur.

Wirceb. n. 226-239; Franzelin th. 17; Schrader, th. 32; Pesch, n. 595 sq.; Egger, n. 189 sq.; Didiot, n. 284 sq.; De Groot, q. 19; Salv. di Bartolo, l. c. Criterio 5, p. 150, et p. 155; cf. Cano, l. 8; Scheeben, § 27, p. 267 sq.; Mazzella, p. 296 sq.; Bossuet, *Défense de la tradition*, 3, c. 12 sq., maxime c. 20.

DECLARATIONES PRAEVIAE.

77. 1. Non hic inquirimus directe et ex professo de opere theologorum quatenus scientifice excolunt veritatem revelatam — hoc enim, sicut etiam ceterae quaestiones cum eo munere connexae, ad tertiam nostrae tractationis partem pertinet — sed agimus de iis prout per eos devenire possumus in cognitionem veritatis revelatae. De scientifica per eos tractatione dogmatis non hic agimus nisi quatenus necessarium est ad solvendam quaestionem utrum haec scientifica tractatio tota sit extra ambitum magisterii, an aliquo modo cum eo connexa. In quo duo nunc satis est advertere :

a. Aliqua dogmatis intelligentia est necessario connexa cum ipsa depositi transmissione, quin etiam ipsi fidei quasi intrinseca. Oportet enim intelligere quod credimus. Cf. Anselmum, cum saepe alibi tum *Cur Deus homo* l. 1, c. 2, M. 158. 362. Porro ejusmodi explicationes quasi intrinsecae dogmati magisterii praerogativis ornantur : debet enim Ecclesia transmittere dogma ut vivum in mentibus, hoc enim est doctoris. Cf. n. 72 et n. 60, c.

b. Non potest ergo in scientifica dogmatis tractatione ejusmodi error obrepere in ipsam Ecclesiam ut aliquando *catholicus intellectus* deficiat. Cf. Scheeben, n. 1015, et etiam 1009 sq. Atque in hunc sensum veniunt verba Vaticani, *Dei Filius*, c. 4. ad f., E. 1647.

78. 2. *Scholam* hic intelligimus theologos scholasticos, vel, quod eodem redit, summam eorum theologorum vel theologicarum scholarum quae a 12 fere saeculo usque ad medium saeculum 18, sub Ecclesiae pastoribus et sancta Sede, docuerunt. Nam postea non fuit de facto ea Scholarum ab Ecclesia dependentia unde argumentum sumimus. Quanquam etiam nunc si qua in re habebitur unanimis consensus, valebit is consensus ad argumentum ; in dissensu potius potest esse disparitas. Quae ipsa fortasse per faciliorem Papae interventum et auctoritatem omnibus perspicuam ad paritatem fere reduci potest.

79. 3. Hoc interest inter Patres et Theologos, quod Patres, cum essent magnam partem Episcopi, erant formaliter suo tempore vox Ecclesiae. Non sic Theologi qua tales. Accedit quod Patres vel singuli aliquo modo sunt ab Ecclesia approbati; non sic theologi singuli, sed potius *Theologia*, vel aliqui theologi, vel aliquae scholae. Tandem Patrum orthodoxiae et menti catholicae suffragatur eorum sanctitas; non sic in Theologis.

Hinc fit ut non directe et immediate, sed mediate tantum et indirecte, arguatur ex consensu theologorum veritas divina; fit quoque ut theologi singuli auctoritatem non habeant nisi *suam*, sive ut testes, sive ut doctores; fit tandem ut consentientium Patrum auctoritas sit immediate infallibilis; non sic Theologorum. Sed adverte :

Etsi theologi non sunt magistri authentici neque vox Ecclesiae docentis, sunt tamen magistri *publici* (officiels), praecones et testes publici. Quin etiam theologi quodammodo Patribus successerunt, et acceptam ab iis doctrinam Ecclesiae digesserunt, expolierunt, illustrarunt, posterisque pro Ecclesia, ac nomine Ecclesiae transmiserunt. Theologi etiam nunc magistros authenticos — si non ipsi fiunt magistri authentici — erudiunt et informant in seminariis et universitatibus, magistris adsunt ut iis praeluceant, eorum consultis respondeant, documenta demum vel proxime vel certe remote praeparent, quibus Ecclesia authentice doceat quid sit tenendum, quis sit sensus Ecclesiae. Artissima scilicet est connexio inter theologiam et magisterium authenticum! Cogita partes theologorum in Tridentino, in Vaticano, in Congregationibus romanis, in ipsis decretis Pontificum. Cf. Scheeben, n. 347-350.

80. 4. Ex dictis intelligitur quomodo duplex sit theologorum auctoritas, altera *propria*, quae humana est, prout spectantur ut viri docti et ejus quam profitentur disciplinae periti, altera, quasi aliena, *quae tota est ab Ecclesia*, cujus nomine, ut dictum est, docent, et cujus doctrina cum eorum doctrina vinculo artissimo connectitur. De hac potissimum est thesis pars prior, de illa pars altera.

Agitur porro in thesi de *auctoritate* scholae, non proprie de

vi rationum quas afferunt theologi. Quanquam haec *vis rationum* cadit etiam sub thesim, quatenus sc. *auctoritate* theologorum sancitur aut cum ea connexa est.

81. 5. Cum vis argumenti tota sit, in priore parte, ex connexione theologiae cum Ecclesiae magisterio, in altera, ex eo quod theologi spectantur ut viri docti et *theologiae* periti, quae theologia nihil est aliud nisi scientia hujus doctrinae quae objectum est magisterii, statim apparet eosdem esse limites thesis, easdem auctoritatis condiciones, quae de Patribus dictae sunt. Haec speciatim sunt mentione digna :

a) Consensus certus sit et unanimis (moraliter sc.). Facilior autem est inquisitio de consensu theologorum quam de consensu Patrum, ut patet, cum praesertim soleant theologi recentiores (alii satis diligenter, negligentius multi) antecessorum sententias enumerare ;

b) Consensus sit de re *ut fidei* aut *ut cum fide necessario connexa,* non de re *ut vera* (quae veritas potest rem spectare mere humanam nec necessario vinculo cum fidei doctrina connexam), et is quidem non opinativus, per modum hypothesis, sed firmus et assertivus ;

c) Consensus sit *constans,* h. e. diu perseverans (duratione sc. moraliter spectanda) quae condicio etsi vix aberit si ceterae aderunt, vix aderit si ceterae aberunt, hic tamen additur cum non esset in Patribus necessaria, vel ut signum et subsidium ad dignoscendum utrum prima et altera condicio adsint, vel quia non statim exhibetur in doctrina theologorum doctrina Ecclesiae, ut fit in Patribus.

82. 6. Thesis inimicos habuit aut habet, et quidem acerrimos, non modo Protestantes cujuslibet coloris et opinionis (exceptis Anglicanis quibusdam qui etiam in ea re ad Catholicos accedunt) sed Jansenistas, sed eos qui, ut Dœllinger, temporibus Vaticani ab Ecclesia defecerunt, eosque paucos (in Anglia potissimum et Germania) qui, etsi non sunt aperte schismatici, spiritu tamen schismatico Encyclicam *Providentissimus* vix aut ne vix quidem receperunt, Pontificium interventum in Universitates catholicas in ruinam omni scientiae et libertati fuisse, curiam Romanam factam esse « jesuiti-

cam » aut « scholasticam » conqueruntur ac nihil intelligere in rebus praesentibus fidemque reddere cum ratione et critica inconciliabilem[1] — Liberales se aut Progressistas aut Antischolasticos ipsi se nominant, — item semirationalistas Germaniae in Kantianam philosophiam propensos, Hermes, Günther, etc. ; item non paucos mentis catholicae homines, Traditionalistas, Ontologos, alios vel criticae quam dicunt et historiae studiosos vel placitis philosophiae recentioris addictos, quorum plurimi Scholasticam illam (quo nomine christianam philosophiam ac theologiam significare se nesciunt) aut penitus ignorant, aut primis labris vix attigerunt, ac pro Scholastica nescio quod monstrum ipsi sibi fingunt quod impugnent. — Est autem certa et ratione et documentis ecclesiasticis.

PROBATUR PARS 1. — *Argumentum ex Scholae consensu.*

83. 1. Doctrina Scholae (vel theologorum) in eo casu doctrina est Ecclesiae. Ergo. Probatur antecedens :

a) Ex relatione scholae ad *pastores* vel *magistros authenticos*. — Scholae erant pastoribus instrumentum docendi, pastorum erat doctrinae traditae invigilare, doctores reprehendere, etc. Paucis : Theologi docebant pro Ecclesia, sub Ecclesia. Ergo cum Ecclesia.

Pastoribus is fere mos fuit ut theologos consulerent, eorumque ope uterentur ad documenta fidei praeparanda, elaboranda, conscribenda, explicanda.

Pastores non raro ipsi docuerant theologiam : quod sciebant a theologis didicerant.

b) Ex relatione Scholae ad *fideles*. Doctrinam quam pastores fidelibus tradebant, acceperant ipsi a theologis, eamque si *aliter* explicabant, *eamdem* tamen, et quidem prout per theologiam *intellexerant*, explicabant.

1. Exempli causa, cf. *Voces catholicae*, in CONTEMPORARY REVIEW, march 1899, n. 401, p. 629-651 : *Is a catholic University possible?* Ibid. april 1894, n. 340, p. 576-608, Anonymus catholicus contra Encyclicam *Providentissimus*. Inter eos qui acerrime in hunc sensum pugnaverunt fuit F. X. Kraus, de quo cf. Kannengieser, *L'envers d'un savant catholique d'Allemagne*, in *Quinzaine*, 16 juin 1902, n. 184, p. 433-458 ; Godet, *Rev. cl. fr.*, 15 nov. 1902, t. 32, p. 610.

c) Ex relatione doctrinae *theologicae* ad dogmata definita. Sunt, praeter dogmata definita, multae veritates catholicae quas communiter docent theologi ut pertinentes ad doctrinam Ecclesiae. Porro hujusmodi doctrinae vel nihil aliud sunt nisi explicationes aut conclusiones veritatum jam definitarum, vel dignoscuntur a theologis ut aliquo modo ad depositum pertinentes, sive exhibent doctrinam in aliquo Scripturae testimonio implicitam, sive sunt ipsa doctrina Patrum, sive sunt in sensu catholico, etc. Atque hinc fit ut hujusmodi doctrinae, pro rerum adjunctis et Spiritus sancti instinctu, suo tempore ab Ecclesia authentice proponantur et fiant *doctrina catholica*. Non possunt ergo rejici hujusmodi theologorum doctrinae sine ipsius catholicae veritatis damno. Cf. Scheeben n. 426 sq. et verba D. Ullathorne, ibid. n. 430.

Idem fere argumentum sic potest aliter proponi : Spectata scholarum origine, fine, subordinatione, error scholae universae tribuendus esset Ecclesiae et ut causae erroris et ut erranti. Ergo. Ad probandum antecedens, valent documenta quae sequuntur.

2. Argumentum ex documentis Ecclesiae. Dupliciter possumus arguere :

a Ex documentis paene innumeris quibus ostenditur Ecclesiae interventus ut doctores laudet aut reprehendat, dirigat aut approbet, defendat aut alleget. Cf. E. 379, 390, 505, 1439, 1442, 1487, 1508, 1511, 1532. Adde Bullam Sixti V (*Triumphantis*) et Leonis XIII (*Æterni Patris*). Huc facit etiam Syllabus 13, E. 1560.

b) Ex documento directo. Nostram hanc thesim effert Pius IX in Epistola ad Archiepisc. Monach. E. 1536. Cf. E. 411.

3. Confirmatur a) Ex indole ipsa Scholasticae, quae tota in id incubuit ut, verba sunt Leonis XIII in Encycl. *Æterni Patris*, « segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis Sanctorum Patrum voluminibus diffusas congererent, congestasque uno velut loco conderent in posterorum usum et commoditatem » ; totaque « ab uberrimis divinarum Litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat », verba sunt Sixti V in Bulla *Triumphantis*, quae allegantur in Encyclica *Æterni Patris*. Neque enim in vacuo, ut

ita dicam, elaborant theologi neque theorias aut systemata arbitratu suo excogitant, sed id quod credunt, id quod a majoribus acceperunt, id ipsum conantur intelligere sub luce magisterii vivi, id in systema redigere. Quod si critice saepe falluntur, si difficilior iis fuit aditus ad fontes puros, error is aut difficultas non tam ad doctrinae substantiam quam ad accidentalia pertinet. Theologi scilicet sunt veritatis *traditae* opifices. — Cf. Lemonnyer, O. P., *Comment s'organise la théologie catholique*, in *Rev. du clergé français*, oct. 1903, t. 36, p. 225-242. Bossuet, *Défense de la tradition*, l. III, c. 19 et 20.

N. B. — Non contendimus non esse aliquos naevos in Scholasticis, in Nominalistis potissimum, sed dicimus theologos generatim non esse doctrinae patristicae ignaros.

b) « Connexae sunt et fuere semper... Scholae contemptus et haeresium pestes ».Canus l. 8, c. 1. Haec erat, ut cetera omittam, formula Doctoribus promovendis praescripta decreto Josephi II, 3 febr. 1785 : « Spondeo me religionem Christianam a spuriis cultibus integram servaturum ; disciplinas theologicas a jejunis scholasticorum opinationibus repurgaturum ; veram, quae ad mentem J. C. sit exculturum illamque ad usus vitae humanae constanter et sollicite traducturum. » Apud Nilles, *De rationibus festorum S. Cordis Jesu et Purissimi Cordis Mariae,* edit. 5. (Eniponte 1885, l. 1, p. 1, Parergon, n. I, § 2, p. 235.

c) Unde is Scholasticorum consensus nisi a veritate? Cf. Tertull. *Praescript.* 28.

PROBATUR PARS 2. — *Auctoritas scholae propria.*

84. 1. *Ex facto.* Notam temeritatis inurit Ecclesia iis qui in re theologica auctoritati scholae, sine ratione sc. probabili, contradicunt, idque eo ipso quod tantae auctoritati contradicunt. Ergo.

2. *Ratione.* Theologice temerarium est magnae auctoritati theologicae contradicere. Atqui magna est Scholae auctoritas theologica, sive haec auctoritas intrinsecus spectatur, sive extrinsecus :

a) *Si intrinsecus*. Magnam vim conciliat opinioni tot hominum doctrina et peritia in *re sua* judicantium, eorum probitas, studium veritatis, atque adeo ipse consensus.

b) *Si extrinsecus*. Magna est auctoritas extrinseca hujus corporis ad quod pertinent tot doctores etiam solemni Ecclesiae judicio probati, quod ipsum Ecclesia tam saepe laudavit, probavit, defendit, consulit, etc., quod Ecclesiae et sanae doctrinae inimici tantopere oderunt, insectantur, etc.

85. *N. B.* — Haec temeritas in re theologica importat de se peccatum contra fidem, ob periculum sc. quod temere incurritur erroris in fide... Non tamen sequitur infallibilem esse auctoritatem in quam impingere sit temerarium; immo humana est et fallibilis.

Omnis autem aberit temeritas, si verae et solidae aderunt rationes dissentiendi; quod in re scientifica et potest evenire et evenit; in re etiam theologica, non est inauditum, si fuit consensus in opinionem qua talem, potius quam in rem ut exploratam et certam, consensus proinde opinativus potius quam firmus et certus. Exempla postea.

SCHOLIA.

86. 1. Ut Patrum, sic Theologorum consensus indirecte et illative potest probari. Ita, si Magister Sententiarum, Thomas, Bonaventura, Scotus aliquid asseverant esse de fide vel cum fide connexum, infertur legitime discipulorum consensus.

Sed *N. B.* — Saepe aliqua doctrina dicitur *communis*, sensu quodam deminuto, ut significetur multorum esse et bonorum. Contraria potest esse *communior*. Cf. Pesch, n. 599, et Scheeben, n. 388, 389.

87. 2. Est ergo de fide, haeretica, theologice certa, erronea, secura, temeraria, doctrina quam omnes scholastici hoc modo notant asseveranter, ita ut certum sit haereticum esse quod ita notant ut haereticum, theologice certum quod notant ut theologice certum, etc. Quid si dicunt esse *veram* aut *certam* in materia theologica illa quidem propter contactum cum dogmate, non tamen hoc sensu quod *certo* appareat esse

connexam hanc explicationem cum ipso dogmate ? Tum, quamdiu Ecclesia non intervenit assertum habet pro se, praeter rationes allatas, auctoritatem theologorum *propriam*, de qua n. 84.

88. 3. Haec autem theologorum auctoritas eo minus urget, ubi aliquam *opinionem* proponunt, sive hanc ut probabiliorem habent, sive ut probabilem tantum. Atque de facto in hujusmodi opinionibus adfuit aliquando ad tempus vel consensus vel quasi consensus, cui postea successit consensus in contrarium. Quanquam consensus proprie dictus in hujusmodi rebus rarior fuit quam saepe dicitur.

Hinc esto judicium de opinionibus aut consensu theologorum in quaestionibus ut sunt sequentes : Num episcopatus sit ordo, num confessarius mere *declaret* absolutum paenitentem, de materia ordinis, de Immaculata Conceptione, de ordinibus minoribus, de confessione ad laicum in casu necessitatis facienda, cet. Cf. Franz. th. 17, n. II, p. 215 sq.

89. 4. Doctrinae humanae et explicationes philosophicae, si ita sunt cum doctrina fidei connexae, ut haec sine illis stare non possit, naturam theologicam induunt. Sic doctrina de accidentibus in ordine ad Eucharistiam et ad gratiam sanctificantem, de natura et persona in ordine ad Incarnationem et ad Trinitatem, de forma substantiali et de anima ut forma corporis in ordine ad realem unitatem naturae humanae et rectum conceptum de composito theandrico [1].

Atque inde judicandum est de systematis quae dicuntur philosophicis. Porro systemata quaedam sunt quae aperte non consistunt cum quibusdam veritatibus fidei : ea falsa sunt. Alia quaedam sunt quae partim ingressa sunt, ut ita dicam, ad doctrinam authenticam Ecclesiae (ut de anima tanquam forma corporis) : hinc redundat lux in totum systema non quidem ut verum in se, sed ut veritati theologicae consentaneum. Alia, etsi non sunt ab Ecclesia approbata ut sua, ita tamen apte quadrant cum doctrina fidei, ut videantur sola exhibere verum sensum

1. Paulo latius fortasse quam hic fit — ex alia sc. consideratione — rem videtur intelligere M. de la Taille, *Quelques précisions sur la révélation et le dogme*, Études, 20 nov. 1904, p. 516 sq. ; sed discrimen evanescit, ut videtur, si totam quaestionem spectes.

veritatis revelatae : ea se habent ut hypotheses vel optimae vel unicae in scientiis humanis. Alia vel non sola afferuntur ut apta explicatio veritatis divinae, vel non ostenduntur ita cum ea cohaerere ut aut ipsa nullam difficultatem habeant aut aliam explicationem non excludant : de iis fere solet esse controversia. Cf. praeter A. de la Barre, 2e p. c. 2 et 3, Cyrille Labeyrie, *Le dogme et la métaphysique*, 1904, et ea quae de eo opere scripsit F. Bulliot, *Rapport sur le prix Hugues*, Institut catholique de Paris, séance de fin d'année, 1903[1].

90. *Methodus* scholastica spectari potest dupliciter :

a) Secundum substantialia, idque sub multiplici respectu.

Prout importat *usum rationis* in rebus fidei, prout est conatus fidei quaerentis intelligere quod credit — et hoc sensu potissimum damnavit Ecclesia traditionalistas (E. 1508);

Vel prout dependentiam rationis a fide necessitatemque conjunctionis inter utramque vindicat, et hoc sensu potissimum non modo practice utitur Ecclesia hac methodo, sed etiam semi-rationalistas Germaniae damnavit (*Syllabus* 13, E. 1560);

Vel prout philosophiam quamdam importat cujus praecipua capita mirum in modum cum doctrina christiana quadrant et aptissima sunt ad ejus defensionem et illustrationem [2]; et hoc sensu eam saepissime commendarunt cum ceteri Pontifices, tum maxime Leo XIII ut *philosophiam christianam*.

b) Secundum processum stricte dialecticum, qui etsi neque ei proprius est, neque necessario cum ea connectitur, magnae tamen est utilitatis recte utentibus ad definiendum, ad distinguendum, ad arguendum — de qua re sunt multa vel clarissimorum philosophorum testimonia, ut Leibnitzii, J. de Maistre, etc. — Cf. T. Richard. *Études critiques sur le but et la nature de la scolastique* in *Revue thomiste*, juillet-octobre 1904. Bossuet, *Défense*, l. 3, c. 20.

N. B. — Difficultates contra hanc thesim vide apud P. De

1. Huc etiam faciunt quaedam quae scripsit L. de Grandmaison, *L'élasticité des formules de foi*, in *Études* 1898, p. 341 et 478.

2. Quae philosophia non tota Aristotelica est, ut saepe dicitur, sed et a Platone et a ceteris habet quidquid optime dixerunt.

Groot, p. 292 sqq. Nostris temporibus scholasticae maxime objiciitur suus qui dicitur intellectualismus : qua de re cf. T. Richard, l. c.

APPENDIX.

De auctoritate S. Thomae.

Cf. De Groot, q. 19, a. 2, q. 20, a. 3; Pesch, n. 601 sq.; Didiot, p. 2162 sq.; Kleutgen, *Theologie der Vorzeit,* t. 4, n. 54 sq.; sed, ante omnia, documenta Papalia et maxime multas Leonis XIII epistolas et acta multimoda.

91. 1. Auctoritas ejus *intrinseca* quanta sit perspiciet qui de ejus ingenio cogitabit, de studiis, de excellentia methodi in qua ratio et fides, auctoritas et libertas, philosophorum Patrumque doctrina et proprium acumen... aptissime conjunguntur[1]. Sed non de hac nos, aut certe non de ea praecipue aut ratione sui; item neque de philosophica, sed potius de theologica.

2. Auctoritas *extrinseca* ab Ecclesiae praxi, laudibus, approbatione ostenditur; item ab haereticorum conviciis, ab eorum erroribus qui Angelicum vel parvi fecerunt vel neglexerunt.

Documenta Ecclesiae haec praecipua sunt, cf. Kleutgen, l. c.: Joannis XXII Bulla *Redemptorem,* apud Pesch, n. 601, ex Bollandistis I, 682; — Clementis VI Bulla *In Ordine;* — Innocentii VI Sermo de S. Thoma, apud De Groot, p. 299; — Urbani V ad Academiam Tolosanam, augusto 1368, apud Pesch, ibid. — Nicolai V Breve ad FF. Ordin. Praedic.; — Pie V Bulla *Mirabilis;* — Sixti V Bulla *Trumphantis;* — Clementis VIII Litteræ *Sicut Angeli,* apud De Groot, p. 299; — Benedicti XIII Bulla *Pretiosus,* apud Pesch, n. 601; — Clementis XII Bulla *Verbo Dei;* Benedicti XIV Breve 21 augusti 1752; — Leonis XIII, qui et in Encyclica *Æterni Patris,* et aliis actis aut decretis, omnes omnium laudes et approbationem cumulavit. Cf. etiam *Breviarium romanum,* 7 martii.

1. Cf. Gardeil, O. P., cum saepe his annis, 1903-4 in *Revue thomiste,* tum in *Séance de fin d'année,* Institut catholique de Paris, 1902.

Accedit praxis doctorum hominum, ordinum religiosorum, academiarum, conciliorum. Cf. De Groot, p. 300-301, Didiot, n. 289 sq.

In specie, haec adverte :

a) Cum S. Thomas sit Scholasticus κατ' ἐξοχήν, et quasi *communis Doctor* genuinorum fere Scholasticorum, cf. Didiot, n. 291, ad eum speciali modo referuntur quae Ecclesia Scholasticae tribuit.

b Habet S. Thomas cum *specialem* approbationem, tum *specialissimam* a Leonis XIII litteris et directione, qualis ne Augustini quidem operibus omnibus unquam data est. Cf. Didiot, n. 281.

c) Haec approbatio non est ejusmodi, ut patet, qua singula puncta doctrinae probentur, sed est *electiva*, et *doctrinae generatim* (methodo, principiis, substantialibus) data, ita scilicet ut verba sunt P. De Groot, p. 298 et 299) « corpus doctrinae thomisticae prae ceteris doctrinis ut via tuta directioque ad veritatem assequendam (resp. errorem repellendum) commendetur. »

d) Hinc S. Thomae auctoritas non facit vi sua doctrinam certam, ut patet; sed « quamdiu nulla solida ratio obstat, auctoritas S. Thomae nobis sufficere debet ut aliquam sententiam ut oppositis opinionibus praeferendam amplectamur. » Pesch, n. 601, p. 363. Atque hoc ita est intelligendum ut valeat quoties non sunt in contrarium *validiora* et *meliora* rationum momenta quam in opinionem quae certo sit S. Thomae — quod in iis potissimum occurrere potest quae factis et documentis potius quam ratione tractantur. — Magnum est quod addit P. Pesch : « Ceterum eo ipso quod sequimur doctrinam S. Thomae, certi sumus nos in universum sequi doctrinam communissime in Ecclesia receptam. Paucae quaestiones in quibus hoc non valet omnibus notae sunt. » Melius autem sequitur S. Thomam qui eum in aliquo particulari puncto aegre deserit, in methodo, principiis, mente et indole exprimit, quam si quis secus; melius qui eum legit, intelligere conatur, quam qui verbis laudat; melius etiam qui spiritum ejus, ut ita dicam, quam qui litteram sectatur, vel (ne *spiritus* et *litterae* nominibus abutendo in alienam plane a S. Thoma doctrinam

discedas, aut verba Pontificum quibus S. Thomae doctrina tanto opere commendatur in falsum sensum, quod aliquando evenit, detorqueas) qui id tentat efficere quod S. Thomas, si nunc vixisset, efficeret, quam si quis ita mediaevalis totus est ut sui temporis nullo modo sit.

e) Quae dicta sunt, pro omnibus Theologis valent : Dominicanis et Jesuitis aliae sunt rationes adhaerendi S. Thomae speciales; item speciales etiam quibusdam Academiis, aliis aliae. Notandum tamen est neque hanc esse intentionem vel Ecclesiae vel Leonis XIII ut ceteri Scholastici negligantur (vide Breve datum ad editionem S. Bonaventurae), neque proscriptas esse eas opiniones quae, utut sunt a S. Thomae doctrinis alienae, aliquarum familiarum religiosarum factae sunt quasi proprium patrimonium quod religiose servant. Vide acta Leonis XIII in causa Franciscanorum, et cf. *Le Sacré Cœur selon la doctrine du Vén. Jean Duns Scot,* par le R. P. Déodat, 2e édition, Paris 1900, p. XIV.

N. B. — Ex dictis intelligitur quantum etiam Philosophiae scholasticae ac S. Thomae sit, pro Ecclesiae auctoritate, in Theologia tribuendum. Cf. *Un siècle*, c. 30, ad finem. Cogita orationes in aula hujus Instituti a D. Letourneau et a P. Gardeil habitas 7 martii 1901, et ad finem anni 1902. Cf. etiam Didiot, n. 307 sq.

THESIS 12.

Consensus fidelium in dogmate fidei est criterium infallibile divinae veritatis.

Cf. Franzelin, th. 12; Pesch, n. 602; Egger, n. 192; Mazzella, p. 303-305. Egregie Scheeben, n. 168 sq.; Schrader, p. 323 sq. Vide Mgr Pie, 8 déc. 1854. P. de la Barre, *Vie du dogme*, p. 2, c. 2; Möhler § 38-40.

DECLARATIONES PRAEVIAE.

92. *Fidelium* nomine veniunt etiam non modo Theologi (contra Cano, l. 8, c. 4), sed quodammodo et Episcopi et Papa, qui ut privati credunt et profitentur quod authentice docent, atque sic ad Ecclesiam discentem pertinent. Is consensus dicitur etiam *sensus catholicus;* qui sensus manifestari solet non solum *explicita* fidei professione, sed etiam *practice* usi-

bus, ritibus, precibus; *argui* autem et inferri ex monumentis vel paucis aliquando potest, ut nominatim ex confessione martyrum. Ut vero is consensus fidem faciat, sit oportet certus, clarus, uniformis; et appellari potest, ut ex rei natura intelligitur, in facto non in explicatione facti. in rebus obviis non in reconditis et subtilibus. Cf. Cano, l. 4, c. 6, ad 14.

PROBATUR THESIS.

93. 1. *Ex fine infallibilis magisterii, Eph.* 4. 11 sq. Christus depositum fidei magistris infallibilibus commisit non ut ii sibi servarent, non ut inanime et mortuum posteris traderent, sed ut in fidelium animis vitam fidei gignerent ac servarent, ut mentium conjunctionem in fidei unitate procurarent, ut Christi veritatem spargerent, erroremque repellerent. Atqui magisterium infallibile fini Christi respondeat necesse est, non autem responderet si consensus fidelium non esset criterium infallibile divinae veritatis. Ergo...

Aliter : Propter quod unumquodque tale, et illud magis. Ergo infallibilitati in docendo respondet infallibilitas in credendo. Cf. Ignatii *Epist. ad Ephes.* 3. 2.

2. *Ex Ecclesiae natura et indefectibilitate.* — Ecclesia est essentialiter societas *fidelium*. Est ergo infallibilis in credendo. Probatur consequentia :

Fieret secus societas errantium, et deficeret in essentialibus : « Una fides », « unum in veritate ». — Item scinderetur corpus Christi mysticum, cum hinc essent magistri utpote infallibiles, ex hypothesi, hinc fideles; nec jam esset Spiritus veritatis in Ecclesia. Ergo.

3. *Ex Patribus et praxi Ecclesiae.* — Basilius *Adversus Eunom.* l. 3, n. 1, Migne 29. 654; Augustinus *Contra Julianum,* l. 1, n. 31, Migne 44. 662; cf. *De duabus anim.* c. 11, Migne, 42, 105; *Contra Faustum,* l. 11, c. 2, Migne 45.245 — et passim, sive agit de peccato originali, sive de gratiae necessitate; cf. *De dono perseverantiae* n. 63, Migne 45.1031.

Huc pertinet quod Pius IX quaesivit ab Episcopis quis esset de Immaculata B. Virginis Conceptione sensus non modo

suus sed etiam fidelium suorum. Hujus rei typum quasi gerebat vox illa mulieris de turba, *Luc.* 11.27.

Facta alia nota sunt, plebis orthodoxia in causa Ariana, triumphus contra Nestorium, cet.

SCHOLIA.

94. 1. Argumentum hoc, sicut etiam in Patribus ac theologis fecimus, spectamus non ut *morale,* sed ut *theologicum,* ita ut consensus ille sit argumentum non modo certum moraliter, sed infallibile.

Hinc intelligitur dupliciter spectari posse infallibilitatem vel Ecclesiae vel fidelium : *Ecclesiæ,* prout infallibile est magisterium (infallibilitas activa, in docendo), et prout infallibile est corpus fidelium (infallibilitas passiva, in credendo); *fidelium*, prout est finis et effectus magisterii infallibilis, ac proinde non immediata et independenter, sed mediate et vi magisterii.

Unde fit ut *argui* quoque possit, logice scilicet, a sensu catholico ad rei veritatem, ob infallibilitatem magisterii, et prout fideles sunt Ecclesia credens, quae errare non potest, ad quam est ordinatum magisterium infallibile, et ex cujus conscientia hauriunt fere magistri vel directe, vel indirecte suam doctrinam.

2. Ex dictis intelliguntur variae traditionis appellationes apud Patres usitatae, cf. n. 30. Dicitur enim :

a) Objective : praedicatio ecclesiastica, intelligendi regula, regula apostolicae veritatis;

b) Subjective (modo activo sensu, modo passivo) : conscientia fidei, catholicus intellectus, ecclesiasticus sensus, fides scripta in cordibus, sapientia non scripta. Franzelin, th. 11.

3. De mutua habitudine inter infallibilitatem activam et passivam. Quidam, temporibus Vaticani praesertim, hanc habitudinem perperam intellexerunt, et ita quidem ut democratiam in Ecclesiam inducerent — sic Dœllinger et cum eo pauci, postea acatholici — cum haec duo non satis distinguerent *esse propter,* et *esse ab* vel *dependenter* (ut in habitudine inter subdi-

tos et regentes idem valet nec recte semper intelligitur). Porro ita se res habet :

Sensus catholicus potest dici regula fidei, sed passiva et regulata, non regulans, nec activa; manifestativa, non praeceptiva.

Debet adesse et semper aderit conjunctio et consensus inter Ecclesiam docentem et discentem, sed non ita ut activa cooperatio et consensus plebis Christianae sit condicio necessaria ad exercitium magisterii, quin etiam ne ita quidem ut magistri *debeant* (etsi utiliter possunt) sensum plebis christianae consulere, nisi fortasse aliquando non aliter possit cognosci veritas, quo in casu non ex jure populi sed ex magistrorum officio inquirendi oriretur ea necessitas. Cf. Scheeben, n. 180.

Hinc comparanti utramque infallibilitatem haec fiunt perspicua :

a) In intentione divina priorem esse infallibilitatem Ecclesiae discentis, nec esse infallibile magisterium nisi ob fideles;

b) In ordine logico, dependere quodammodo magisterium a fide Ecclesiae (non enim definitur nisi quod est aliquo modo in fide Ecclesiae) :

c) In ordine physico, fidem Ecclesiae esse a magisterio ut a causa externa, a Spiritu S° ut a causa interna;

d) In ordine credibilitatis, multum facere consensum plebis Christianae;

e) Magistros esse quodammodo organa Ecclesiae, ministros verbi, fidelium procuratores; sed non sensu democratico : non enim a plebe habent suam potestatem, neque indigent consensu plebis ad hujus potestatis exercitium. Cf. Scheeben, n. 177 sq.

Nec tamen sequitur ab extrinseco imponi fidelibus legem credendi et quasi coacte recipi. Sed fit magistrorum et fidelium mirabilis quidam, Spiritu S° adspirante, concentus, caelestis illius concentus, qui tum perficietur cum Deus facie ad faciem cernetur, et erit omnia in omnibus, in ejusdem veritatis cognitione et mirabili mentis humanae cum divino intellectu conjunctione, anticipativus. Cf. *Un siècle*, c. 30, § 1. Fonsegrive, *Le catholicisme et la vie de l'esprit*, 1899, c. 9, § 4, p. 405 sq.

4. Verum est firmiorem aliquando fuisse ac promptiorem fi-

delium fidem quam magistrorum, ac magistris praeluxisse aut praecepisse quodammodo quid docerent, ut in causa Ariana, « cum sanctiores essent aures plebis, ut dicit Hilarius, quam corda sacerdotum », ut contra Nestorium, ut aliquo modo (si sc. theologos fidelibus opponas) in B. Virginis immaculata conceptione [1]. Sed adverte :

a) Ea fidelium fides aut erat a magisterio authentico, aut certe non praeter aut contra magistros in universum sumptos ;

b) Etsi aliquando plures e magistris authenticis in aliquo defecerunt (defecerunt autem non tam in fide ac doctrina quam in praedicandi constantia), non tamen ipsum unquam defecit magisterium. Si ergo dici aliquo modo potest servatam esse aliquando, ut in causa Ariana, fidem per plebem non per magistros, res neque historice neque theologice ita potest intelligi ut magisterium tota Ecclesia fuerit aut futurum fuerit Arianum. Cf. Franzelin, th. 12, *Coroll.* p. 112-114. Atque cum hac cautela intelligenda est hyperbolica Hieronymi sententia de Concilio Ariminensi : « Tunc Nicaenae fidei damnatio conclamata est, ingemuit totus orbis et Arianum se esse miratus est. » — Quod non satis attenderunt quidam Catholici vel in ea re vel in similibus, non viderunt etiam ii Anglicani qui, ut Pusey, Newman, alii, suam ab Episcopis suis, quos scilicet legitimos putabant, discessionem illorum exemplo excusabant, vel etiam nunc excusant.

5. Hinc apparet quantae sint partes fidelium in Ecclesia. Eae partes non sunt magistrorum, cum fidelium sit credere non docere, conjungi in eadem fide eademque professione non hanc conjunctionem active procurare (nisi scilicet sub magisterio ac pro magisterio) ; sed credendo etiam docent quodammodo, magistrisque viam indicant ; fides enim prior est fidei definitione. Quin immo non raro evenit ut fideles aliqui specialiter a Deo adhibeantur ad aliquam doctrinam magis in luce collocandam, vel ad cultum aliquem promovendum. Exemplo sunt doctrina de Immaculato Conceptu, cultus Eucharistae, Sacratissimi Cordis, etc. Non est ergo democratica magisterii constitutio eo sensu quod *docendi potestas* sit multitudinis ; est

1. Cf. *Histoire d'un dogme,* in *Études*, 5 déc. 1904.

autem maxime, hoc sensu quod non modo omnes ad munus docendi possunt assumi, et omnia in bonum multitudinis fiunt, sed etiam quod una est magistrorum ac fidelium fidei conscientia socialis. una idem credunt antequam fertur lex ipsa credendi, una ad procurandam ejus sanctionem pro suo quisque munere concurrunt.

6. Sensus ille christianus non solum, nec fortasse praecipue, ex actu explicito fidei dignoscitur, sed saepe imbibitur in cultu, in modo agendi, etc. Sic fides de peccato originali est in praxi baptizandi parvulos, fides de immaculata conceptione B. Virginis in festo et invocatione Virginis immaculatae. Hujus autem fidei conscientia socialis tum solet excitari cum aliquis contrarium docet. Hinc murmur illud fidelium contra Nestorium, contra Pelagianos etc., de quo saepe S. Patres. Hinc fides martyrum duplici modo manifestat fidem sui temporis, professione explicita, morte. Quaedam egregie in hunc sensum Blondel, *Histoire et dogme*, III, 1, in *Quinzaine* 16 février, 1904, p. 437, p. 440 sq.

7. Ut ex dictis apparet, nihil est sensus ille fidelium nisi fides Ecclesiae credentis, conscientia socialis de veritate catholica. Aliquando usurpatur nomen idem « sensus catholici » significatione non plane diversa illud quidem, sed paulo latiore, ad significandam totam rationem agendi et sentiendi in Ecclesia, unde exsurgit « spiritus, qui dicitur, Ecclesiae ». Qui ut summo opere commendandus et sectandus est, ita *in casibus singularibus* nec temere est appellandus contra omnem opinionem non tuam, nec facile dignosci semper potest. Dari tamen hujusmodi spiritum Ecclesiae catholicae, ut datur spiritus protestanticus, ut suus est cuique societati spiritus, et posse praecipuos ejus characteres aliquo modo definiri nemo non videt. Cf. A. de la Barre, *Le sens catholique,* conférence du 21 déc. 1904, cujus analysin dat *La Vérité française*, 23 déc. 1904, *La tradition catholique.*

8. Tota haec doctrina de sensu catholico apte illustratur comparatione cum *sensu communi* de quo philosophi : magna enim est utrinque analogia et ratione fundamenti, et modo manifestationis, et limitibus objecti, et consequenter usu argumenti inde desumpti.

NOTA DE RELIQUIS LOCIS THEOLOGICIS.

95. De iis nihil fere occurrit quod hic dicamus, cum principia eadem sint in aliis rebus applicanda, applicationes autem sint potius singularum disciplinarum quam theologiae. Qui ergo plura cupit adeat Canum, Wirceburgenses, Perrone, Berthier, De Groot. Hic pauca.

Scriptura, ut argumentum suppeditet, oportet ipsum Dei verbum et quidem certo exhibeat. Debet ergo constare et locum allatum esse in Scriptura sacra, et quidem eo sensu quo affertur, et esse sententiam Dei, non alicujus tantum personae quae loquens inducatur. Esse aliquem locum in Scriptura sacra partim rationibus criticis efficitur, partim auctoritate Ecclesiae, idque multiplici modo; item hunc esse sensum non modo Vulgatae sed etiam textus inspirati, atque hanc esse sententiam divinam. De sensu autem spirituali, quippe qui littera non exprimatur, sed ipsis rebus, non videtur aliter posse constare *certo,* nisi res aliquo modo in ipsa Scriptura insinuetur. Quamquam, speculative loquendo, intelligi potest sensum spiritualem alicujus loci non esse nisi in traditione orali, ubi dignosci possit sicut dignoscuntur ceterae traditiones. In plurimis vero sensus illi spirituales qui a Patribus afferuntur non possunt pro certis afferri, nisi adsit ipsius Scripturae testimonium.

96. *Ecclesia* duplici modo docet, vel ut interpres Scripturae, vel suo, ut ita dicam, nomine; non docet autem nisi res fidei et morum vel res cum fide et moribus aliquo modo connexas.

Docet autem : 1) plenaria auctoritate, per *Papam* ex cathedra loquentem, per *Concilii oecumenici* definitiones, per unanimem *magisterii dispersi* consensum;

2) Non plenaria auctoritate vel per Papam cum definire non intendit, vel per *Concilia particularia,* vel per *Episcopos.*

Adsistunt autem Papae *Congregationes,* Episcopis *Parochi et Vicarii,* Papae, Congregationibus, Episcopis *Theologi,* quorum etiam doctrinam divulgant *Catechetae* et *Contionatores*

97. Non modo *docendo* conservat et transmittit Ecclesia depositum, sed etiam *agendo* et *orando*. Unde fit ut ad locos theologicos sint referenda *jus canonicum* et *liturgia*, referenda tractatio de re *ascetica* et de *devotionibus* quae dicuntur, quae omnia nexu intimo cum theologia conjunguntur.

Ecclesiae vero *discentis* fides sensu catholico manifestatur, qui sensus et ipse in fidelium *precibus, devotionibus, canticis,* multiplici agendi ratione elucet, et quidem nominatim in *vita sanctorum* et in *confessione* martyrum.

98. Quae omnia cum soleant fere monumentis consignari (libris, picturis, inscriptionibus, etc.), per haec fit continuatio et temporum et locorum in ejusdem doctrinae vel praedicatione vel inquisitione; unde locus ab historia, ab archaeologia, ab actis martyrum, a libris liturgicis etc., qui loci sunt fere ab *auctoritate*.

99. Cum autem praecipuae sint partes rationis in scientia fidei, hinc locus est a *ratione* vel *philosophia* vel ut excludatur falsa opinio, vel ut objectionibus satisfiat, vel ut ea quae sunt fidei analogiis illustrentur atque inter se connectantur. Cf. 1, q. 1, a. 8, et *C. Gent.*, l. I, c. 7, 8, 9.

N. B. — Quomodo non deroget huic scientiae quod tota sit auctoritatis, dicit S. Th., 1, q. 1, a. 8 ad. 2.

SUMMA ET CONCLUSIONES.

100. 1. Summa rei haec est : Verbum Dei vel scriptum vel non scriptum, accipiunt Apostoli a Christo atque a Spiritu S^o^, et promulgant; repetunt infallibiliter Apostolorum successores toto orbe in omnes aetates, acceptumque transmittunt; inter quos praeeunt Patres, ceterorumque vocem dirigunt et moderantur. Interea, tanquam echo assonat fides et conscientia plebis Christianae, divinamque vocem, per Magistros delatam et propagatam, refert atque exprimit grandi concentu, in quo eminet vox Theologorum, quae, Magistrorum voci plane consona, plebis concentui praeit, eumque continet[1].

1. Partes Romanae Sedis dat Scheeben, n. 331-8.

2. In hac mirabili transmissione verbi divini haec maxime sunt mirabilia : quomodo bonum illud veritatis revelatae sit bonum *sociale* et bonum *singulorum*, atque ita quidem ut non possit fieri singulorum nisi ut sociale, quomodo omnium in mentibus vivat et omnibus accommodetur idem manens, quomodo transmittatur per aetates et spatia incorruptum idque per instrumenta humana, etc.

3. Cum omnis scientia aliquid sociale habet, tum maxime scientia veritatis revelatae : boni enim hujus socialis sociale sit studium oportet, sub magisterio sc. Ecclesiae. Atque hinc unitas cum libertate. Cf. Newman, *Anglican Difficulties*, p. 271 (in *Characteristics*, p. 305); cf. ibid., p. 263 (in *Characteristics*, p. 345-347).

CAPUT IV.

DECLARATIONES ET COMPLEMENTA CUM APPLICATIONE AD CONCRETA.

Quae dicta sunt pro principiis haberi possunt, per quae recte judices de magisterio et methodo vere theologica utaris. Quin etiam multa ibi occurrunt jam practica, multae applicationes principiorum. Cum tamen innumerae, nostris maxime temporibus, quaestiones de iis rebus oriantur, visum est pauca, quae fere ad exercitium magisterii vel implicitum vel explicitum referuntur, subjungere, ubi ejusmodi quaestiones magis in concreto considerentur.

Quae cum ad ea fere revocentur quae de Ecclesiae potestate docendi soleant tradi in tractatibus de Ecclesia, hic non tam probatione indigent quam declaratione. Quapropter per modum assertorum vel quaesitorum potius indicantur breviter et declarantur quam per modum thesium evolvuntur aut probantur.

Ante omnia vero diligenter revocanda sunt in memoriam quae dicta sunt de exercitio magisterii, n. 31, et de objecto magisterii, n. 60.

101. 1. **De magisterio ordinario.** — De eo diligenter tractavit Vacant, *Le magistère ordinaire*, 1887 [1]. Qui ibidem aut primus aut inter primos haec ex professo tractavit :

1. Est, praeter judicia solemnia magisterii *extraordinarii*, magisterium *ordinarium* et quasi quotidianum, quod ipsum infallibile est et ejusdem auctoritatis ac judicia solemnia. Cf. Constitutionem *Dei Filius*, c. 3, E. 1641; item, E. 1536.

1. Cf. Bellamy, *La théologie catholique au* XIX^e^ *siècle*, ch. x, § 3, p. 233 sq.

2. Quod magisterium non modo per magistros authenticos exercetur, sed per eos omnes qui vel a magistris authenticis adhibentur ad docendum, vel, non adhibiti a magistris, multiplici modo quae ipsi didicerunt, in consensu cum magistris authenticis, docent : ut quisquis catechizat, ut missionarii, etc.

3. Quin etiam non solum *expresse* docendo exercetur, sed etiam *implicite* per praecepta practica, per liturgiam, etc.; maxime autem *tacite*, vivendo et agendo, quatenus nobis aperit thesauros Scripturae et Patrum, approbat scripta theologorum et cetera vel immediate vel mediate doctrinalia, divulgat professiones fidei, promovet *devotiones*, quatenus denique aliquid agit quod ad Christianae doctrinae cognitionem faciat. Atque sic tota doctrina christiana ad magisterium ordinarium pertinet.

4. Hoc maxime magisterio, quod intime cum Ecclesia discente conjungitur, fit ut servetur et vivat haec doctrina in mente fidelium et in conscientia Ecclesiae sociali; hoc ut apte proponatur, declaretur, explicetur, crescat et evolvatur, in varias syntheses coalescat etc.; hoc ut Ecclesia discendo doceat et docendo discat.

5. Quo ex progressu doctrinae consequitur ut implicita explicite prodeant, dubia et obscura pateant, liberae disputationi tradita necessarium assensum postulent. Quanquam non videtur hoc modo novum dogma fieri, quod qui non credat eo ipso sit haereticus, cum ad hoc requiri soleat solemnis definitio.

6. Utrum Papa hoc modo infallibiliter pronuntiet, eatenus dubium est quatenus non constitit utrum Encyclicae, vel Allocutiones, vel Epistolae ad aliquem missae — quibus certe aliquando magisterium infallibile exercetur — dicendae sint actus magisterii ordinarii an extraordinarii. Unde fit ut quaestio sit magis de nomine quam de re. Duo haec sunt certa :

a) Non esse stricte infallibilem nisi actum *ex cathedra* pronuntiantis;

b) Magisterio Papae ordinario actibusque non tam supremae auctoritatis quam providentiae ecclesiasticae vel universalis vel particularis, infallibiliter dirigi Episcopos et fideles: magisterio ordinario vel Episcoporum vel ceterorum qui docent infallibilem esse Ecclesiam in credendo.

Ex quibus consequitur per actus fere non infallibiles procurari infallibiliter veritatem doctrinae et fidei.

Quod quomodo fiat is intelliget qui cogitaverit cum assistentiam Spiritus sancti Ecclesiae promissam ejusque influxum in Ecclesia multiformem, tum mentium commercium variosque doctrinae meatus et vitam, ut ita dicam, socialem veritatis divinae in vita et conscientia sociali Ecclesiae. — Qui inde etiam perspiciet quantum sit sentire cum Ecclesia, et quo lumine auxilioque careat qui magisterii ordinarii organa parvi faciat eo quod infallibilia non sint [1].

102. 2. **De magisterii ambitu.** — 1) Jam dictum est, n. 60, huc pertinere quidquid est ad aedificationem fidei et morum. In quo humana multa necessario interveniunt, quae aliquando tam arte cum doctrina divina connexa sunt ut vix separari analysi possint. Porro haec duo sunt tenenda :

a) Si quid Ecclesia decernit ad suum magisterium pertinere et a se doceri, standum est ejus decreto, utpote infallibili ; item, pro valore auctoritatis, si idem alii docent magistri vel authentici vel non authentici [2].

b) Ubi non constat utrum aliquid ad doctrinam Ecclesiae aliquo modo pertineat, an sit privata opinio alicujus, juvat saepe consideratio objecti vel in se spectati vel in sua connexione cum doctrina Ecclesiae; evenit enim non raro ut diligentior haec consideratio ea quae in cognitione confusa miscebantur dissociet, suasque partes magisterio Ecclesiae, suas placitis humanis in toto argumento faciat. Atque ita factum est ut quaedam Scripturae interpretationes, quaedam doctrinae philosophicae nunc partim peritorum arbitrio et disputationi

1. Inde etiam satisfit quodammodo iis qui mirantur vel non saepius intervenire Papam ad definiendum *ex cathedra*, vel non clarius ostendere agere se ex plenitudine suae potestatis. Sanctior est scilicet auctoritas quam raro appelles, mitius et magis paterne exercetur suadendo quam jubendo vel anathematizando; divinius agit qui in causis secundis et per eas ita agit ut operatio ab intrinseco procedat quam qui cogit et extrinsecus dominatur.

2. Hac in re, ut notum est, insigniter erravit Melchior Canus, l. 7, c. II, et III, cum contendit non posse doctrinam de Immaculato Conceptu B. Virginis cadere sub definitionem, eo quod non sit res quae ad fidem pertineat, quasi non sit Ecclesiae definire quid ad fidem pertineat. Cf. Pesch, n. 582.

permittantur quae aliquando magisterii esse totae visae sunt (ut quaestio de diluvio, de evolutionismo).

Quanquam periculum est ne hujusmodi exemplis innixus omnia pessumdes vel in dubium vertas, omne magisterium excutias.

2 De jure Ecclesiae interveniendi in interpretationem eorum quae in libris sacris mere historica vel scientifica sunt, his annis acriter disputatum est (v. g. Dessailly versus Lagrange)[1]; qua in re ne theologi quidem inter se consentiunt.

Porro, de facto, certe non intervenit Ecclesia in hujusmodi rebus, nisi ratione fidei aut morum, ut si periclitetur inspiratio vel inerrantia, si adsit scandalum, etc. Unde fit ut quaestio de jure non tanta videatur, cum maxime sicubi intervenit magisterium, standum sit, ut dictum est, ejus decreto.

103. 3. **De obligatione assentiendi.** — 1. Magisterium non modo proponit veritatem, sed imponit, ligando conscientiam. Porro decretis magisterii infallibilibus debetur assensus fidei divinae, si qua veritas proposita est ut revelata, fidei, ut videtur, ecclesiasticae, si secus; decretis non infallibilibus non modo obsequium externum, sed etiam, quamdiu de contrario non constat, internus mentis assensus religiosus, non firmus ille quidem et absolutus, sed auctoritati decreti proportionatus[2].

2. Decreta hujusmodi infallibilia ferunt Papae vel Concilia oecumenica non modo cum definiunt verum, sed etiam cum doctrinas notant, ut saepe fecerunt saeculis novissimis Papae, per Epistolas, per Allocutiones. Si quod decretum non est ab ipso Papa, sed ab Inquisitione, non est infallibile, est autem doctrinale vel immediate vel mediate (quatenus respicit securitatem alicujus doctrinae).

1. Cf. Lagrange, *Revue biblique*, 1900, t. IX, p. 135-142, *L'interprétation de la sainte Écriture par l'Église*; Dessailly, *Science catholique*, avril 1900, t. XIV, p. 385-400, et mai p. 497-512; Mangenot, *Dictionnaire de la Bible*, art. *Herméneutique*.

2. Cf. Franzelin, post thesim 12, scholion 1, principium 8; idem in *Études*, juillet 1889, p. 354; Granderath, in *Zeitschrift für Kath. Theologie*, 1895, t. XIX, p. 623-650; Grisar, *Galilei-Studien*, ch. xvi, Ratisbonne, 1882; *Civiltà*, 1892, t. I, p. 129; Salv. di Bartolo, *Nuova Esposizione dei Criteri teologici*, Romae, 1904, p. 200 sq.; Scheeben, n. 567; cursistas, ut Pesch, Tepe, Hurter, etc.

3. Ad decretum infallibile multa saepe adjunguntur quae sub infallibilitatem non cadunt, ut quae dicuntur ornandi causa vel illustrandi. Quae probandi vel explicandi causa sunt, aliquando ipsa proferuntur ut veritas catholica : tum cadunt sub infallibilitatem. Secus non cadunt. Atque idem dicendum est de allegatione Scripturae.

4. Novum fere docendi genus induxit Leo XIII, per Encyclicas doctrinales, quae (omissis iis in quibus aliquod punctum doctrinae definitur, ut de americanismo, de ordinationibus anglicanis, de studiis biblicis spectari fere possunt ut opus theologicum Summi Pastoris auctoritate vestitum, et ut expositio doctrinae catholicae per magistrum supremum. Magnam esse hujus expositionis auctoritatem nemo non videt. Certum est etiam esse hoc exercitium magisterii ordinarii non extraordinarii, ac proinde non eo imponi novum dogma. Sed qualis hic actus interveniat non ita liquet. Dici potest, ut videtur, esse providentiae universalis potius quam supremae auctoritatis, ac proinde non esse proprie et per se locutionem, quae dicitur, ex cathedra.

Si quis tamen contendit esse actum infallibilem magisterii ordinarii (ut videtur intelligere Vacant), in suo sensu abundet. Inter utramque opinionem non tantum interest quantum primo adspectu videtur. Nam conciliatio fit fere in ratione *taciti* magisterii, quo proponitur potius quam imponitur doctrina quae aliunde fere imponitur. Nos hujusmodi Encyclicas ejusdem fere generis esse opinamur ac Decretum ad Armenos, vel editionem Pontificiam Vulgatae vel catechismum Tridentinum, quae ratione sui non important auctoritatem infallibilem, immo compatiuntur errorem.

N. B. — In iis et sequentibus supponimus tum infallibiliter loqui Papam cum loquitur ex cathedra, id est, cum vult per supremam suam auctoritatem definitive pronuntiare in re doctrinali. Porro haec voluntas oportet aliquo modo innotescat, non tamen certis formulis aut agendi rationibus adstringitur. Quanquam ex iis agendi rationibus ut ex signis innotescere potest.

104. 4. **De auctoritate Syllabi.** - Huc refertur quaestio de auctoritate *Syllabi*. De qua ut recte judices memento quomodo res sit elaborata, promulgata, accepta. Cf. Hourat. *Le*

Syllabus, 1904 (in collectione *Science et religion*), cujus compendium videsis in *Études,* 20 mai 1904, *Bulletin théologique,* n. 3, p. 585-589. Duo hic sunt distinguenda, ne omnia — quod quidam his diebus, ut P. Viollet, faciunt, — obscures : valor proscriptionis, titulus et gradus proscriptionis.

Censent plerique theologi infallibili judicio proscriptas esse eas propositiones, innixi sensu moraliter unanimi Episcoporum ac fidelium, qui ita rem intellexerunt (cf. Bellamy, *La théologie catholique au XIX*e *siècle,* 1904, c. 3, § 2, p. 62); accedit quod vel prior damnatio erat jam actus infallibilis, vel certe in Encyclica *Quanta cura* (qui est actus infallibilis) eos ipsos errores notat Papa ut jam a se damnatos. Mitius verbis Leo XIII, in Encyclica *Immortale Dei,* sed re idem, ut videtur, cum dicit habere ibi Catholicos « quod sine offensione sequantur ». Cf. Encyclicam *Libertas.*

Utrum vim *suam* habeat *Syllabus,* et quamnam, quaestio est mere speculativa, de qua disputant theologi. Qui diligentius rem tractarunt, sic fere : *Syllabus*, etsi est actus pontificius doctrinalis, non est ipsa proscriptio errorum sed elenchus authenticus vel collectio authentica, aliquando interpretativa, errorum antea proscriptorum. Cf. Rinaldi, in *Civiltà cattolica,* 1888, *Il valore del Sillabo;* Franzelin, in *Études*, juillet 1889, p. 360 sq.

N. B. — Infallibilitatem suo modo vindicat Vacant, l. c. p. 102-3, secundum suam theoriam de magisterio ordinario. Inter eos qui rem theologice vel canonice tractarunt, sunt — pauci illi quidem, ut videtur, — sunt tamen qui negent esse omnino cogentem vim earum rationum quae pro infallibilitate *in globo* afferuntur, quanquam ibi et auctoritatem pontificiam, et officium obsequendi ex animo et de multis propositionibus judicium infallibile agnoscunt. Practice vix ullum est discrimen, modo ab utroque excessu caveas vel condemnationem negligendi, utpote non infallibilem, vel haereticum dicendi eum qui quamlibet propositionem infallibiliter condemnatam tenuerit. Cf. 101. 6.

105. 5. **De censuris et reprobatione doctrinae perniciosae** [1].

N. B. — Sermo hic non est nisi de censuris doctrinalibus.

A) Magisterii est, ut docere verum, ita corruptivas fidei

1. Cf. P. S. B. (Bengochea), *Brevis Censurarum theologicarum expositio,* Onniae, s. d. 116 p.; Schecben, § 30, n. 435-450, et § 35, n. 575-596; Di-

doctrinas repellere. Quod fit multipliciter, vel per Papam, vel per Congregationes Indicis aut Inquisitionis, vel per Episcopos, vel etiam (sed non auctoritative per Academias theologicas.

Initio non damnabantur nisi doctrinae haereticae, et quidem fere per modum anathematis in doctrinas, libros, personas.

Paulatim valuit — praeeuntibus theologiae magistris, ut Parisiis, Oxonii — usus reprobandi propositiones quasdam, et quidem : vel sine nota, ut E. 390, ut fere propositiones Syllabi; vel adjectis notis, idque : aliquando *in globo,* ut E. LXII, LXV, LXXXVI, XCVII, XCVIII, C, CI; aliquando determinate, ut E. XCI, CXIV.

Aliquando dantur notae in aliquem librum aut doctrinam sine ulla doctrinae determinatione (sic fere E. CXXXI, CXXXII).

Aliquando respondetur consulentibus, ut E. CXXXIII. Aliquando imponitur professio fidei, ut Piana E. LXXXII; vel inquiritur de alicujus fide in aliquem articulum, ut E. 551 sq.; vel imponuntur propositiones suscribendae, ut E. CXXIV, CXXX.

B) Decreta Indicis non sunt per se doctrinalia, sunt Inquisitionis, et quidem magnae illa auctoritatis (quae conscientiam obliget, ut diximus), non tamen, etiam si sunt approbata per Papam, infallibilia. Ubi Papa in hujusmodi rebus, ut Papa scilicet, intervenit, solet loqui ex cathedra, et vindicat infallibilitatem. Videndum est ergo, ubi intervenit Papa et Inquisitio, utrum decretum sit Inquisitionis an Papae (qui aliquando vel *suum* facit decretum aliquid Inquisitionis, vel utitur Inquisitione ad exsequendum decretum suum).

C Tum proprie adest Censura vel Nota cum qualificatur doctrina quae damnatur.

Praecipuae notae enumerantur in E. post 1316, 1155, 959, cf. 418, 419. Eas in certos ordines distribuere difficile est, cum neque ipsae inter se adaequate distinguantur neque theo-

diot, *Logique subjective,* n. 377-390; Schrader, *De theologia generatim,* n. 67-82; Hettinger, t. 2, § 47; Kleutgen, *Theologie der Vorzeit,* t. 1, § 81; Franzelin, post th. 12, sch. 2; Salv. di Bartolo, l. c. *Criterio* VI; praeter Veteres, ut Cano, l. 12, c. 8; Suárez, *De fide,* disp. 19, sect. 2; Lugo, *De fide* disp. 20, sect. 3; Dechamps, *De haeres. janseniana,* Parisiis, 1728; Viva, *Theses damnatae,* Neapoli, 1708.

logi in omnibus consentiant : usus quippe earum paulatim determinatus est, idque non semper in eumdem sensum. Haec statui possunt.

Notae aliae respiciunt potius ordinem ad verum, idque vel in se, vel relative ad personam, tempus audientes, aliaque adjuncta :

In se, et sic propositio dicitur : *haeretica* (contra fidem), *erronea* (contra conclusionem theologicam), *falsa* (de facto vel respectu veritatis naturalis, cum ordine sc. ad fidem), *proxima haeresi, proxima errori, temeraria* (quae nota eatenus huc reducitur quatenus peccando contra gravem auctoritatem peccatur contra veritatem vel praesumptionem veritatis), *improbabilis* (quae nulla ratione fulcitur), *non tuta.*

Relative ad personam, adjuncta : *sapiens haeresim* vel *errorem, haereticalis, suspecta de haeresi* vel *de errore, male sonans* (respectu judicum fidei et theologorum?), *scandalosa, offensiva piarum aurium* (respectu fidelium?).

N. B. — His ex notis multae jam ad censuram moralem accedunt.

Aliae respiciunt potius ordinem ad bonum, idque vel quatenus propositio spectatur in se, vel quatenus in effectu :

In se : prava, blasphema, schismatica, seditiosa, temeraria;

In effectu : scandalosa, perniciosa, periculosa, etc.

D. *De censurarum vi et interpretatione.* — *a*) Qui contendit non convenire alicui propositioni notam a suprema auctoritate latam, haereticus est, si nota est de haeresi; sin inferior, aut haereticus est, aut certe errat in fide. Cf. E 1666.

b) Si censurae in globo latae sunt, nulla propositio immunis est ab aliqua e notis, nulla nota est sub quam non cadat aliqua e propositionibus; quae nota quibus propositionibus determinate conveniat non dicitur.

c) Si singulae propositiones suam habent notam, nondum apparet eo ipso quid sit verum, quid falsum. Alia enim est ratio notae moralis, alia dogmaticae; alia in damnatis prout jacent, alia in damnatis ad sensum auctoris; alia in damnatis prout in se spectantur, alia in damnatis propter modum dicendi aut alia adjuncta; alia in complexis, alia in simplicibus. Non ergo simpliciter dicendum est veram semper esse contra-

dictoriam damnatae. Idque eo magis valet, si quis contendat non esse necessario falsam propositionem damnatam.

N. B. — Digna sunt quae secundum haec principia considerentur, E. 1287-1291, 1296, 1306-1308, 1311, 1314; comparari etiam utiliter possunt E. 165 cum E. 907, 915; 1380 cum 61; 1384 cum 68.

d) *Temeritatis* nota specialem habet difficultatem. Temeraria communiter dicitur ea propositio quae sine causa sufficienti recedit a communi Patrum et Theologorum sententia, vel quae contra approbatam et communem Ecclesiae praxim insurgit (E. 1402, 1395, 1428). — Quod sine causa profertur, temere profertur; at non hoc damnat Ecclesia, sed quod gravem in re fidei et morum auctoritatem parvi facit. Propria igitur theologicae temeritatis ratio est in contemptu regulae fidei et morum, vel, quod eodem fere recidit, in eo quod sine causa fidei aut morum periculum inducitur. Cf. 2. 2, q. 53, a. 3, ad 2. — Unde intelligitur cur gravior saepe sit haec nota quam nota falsitatis. Sequitur autem, ut videtur, ea attingi *primario* et per se, non rationem veri aut falsi, sed qualitatem propositionis moralem; atque inde est quod temeraria non contradistinguitur a falsa, haeretica, erronea, utpote quae sit alterius rationis, sed iis adjungi potest. Quanquam attingitur indirecte et ex consequenti. cum regulae fidei opponatur et fidem vocet in periculum.

N. B. — In Bulla *Auctorem fidei* haec saepe conjunguntur : falsa, temeraria; falsa, temeraria, erronea; in E. 966 : temeraria, haeretica. Contra adverte haec conjungi : falsa, haeretica, utpote alterius rationis; non autem : erronea, haeretica, utpote ejusdem rationis secundum plus et minus.

Potest ergo Ecclesia (de jure, scilicet) ut temerariam notare doctrinam quae vera sit; fecisse non ostenditur. Utrum res possit evenire disputant theologi. Cf. Scheeben, n. 587 sq., Pesch, n. 556 et 558.

N. B. 1. — Casum Galilaei nos ita explicamus ut in quo intervenerit judicium Congregationis, non Papae ut talis. De quo nuper, post tot alios, Vacandard, *La condamnation de Galilée*, in *Revue du clergé français*. 1er octobre 1904, t. 40, p. 225-259.

2. Communiter opinantur theologi non permissurum Deum, ut Ecclesia tanquam probabiliorem definiat ejusmodi doctrinam quae falsa sit. Casum habemus in E. 411. Non plane eadem hic ratio est ac de propositione

scandalosa aut temeraria, cum probabilitas directe spectet ordinem ad verum.

3. Cum aliqua propositio damnatur in sensu auctoris, hoc intelligitur de sensu *externo* et *objectivo*, quem scilicet verba *secundum rectas hermeneuticae regulas* prae se ferunt, de sensu qui *exprimitur* non de sensu *interno*, qui est in mente. Secundum quam distinctionem dicitur judicem esse Ecclesiam de sensu *scriptoris* (formaliter loquendo), non de sensu *hominis*.

Potest autem fieri ut quod quis recte sentit perperam eloquatur. Atque ita intelligitur potuisse Fenelonem assentire damnationi propositionum suarum et asserere nunquam sensisse se quod in iis damnaretur. Quod ei vitio verterunt multi, ut Crouslé.

106. 6. **De factis dogmaticis.** — 1. In omni decreto doctrinali auctoritatis ecclesiasticae implicitum est factum aliquod doctrinale, v. g. quod decretum sit ab auctoritate competente; aliquando decretum directe est de aliquo hujusmodi facto ut conjuncto cum aliqua doctrina, ut si non modo damnatur aliqua doctrina, sed si damnatur doctrina hujus libri, hujus hominis, vel etiam damnatur *ut est* doctrina hujus hominis, libri. Tum intervenit magis in recto factum dogmaticum.

2. Sunt autem facta dogmatica non ea quidem quae ipsa sint revelata, sed quae cum dogmatica veritate connectantur. Quae ad duo genera reduci possunt :

a. Quae faciunt ad agnoscendam regulam fidei; cujusmodi sunt : authentia Vulgatae, oecumenicitas Concilii alicujus, ut Tridentini, Vaticani, legitima electio Pii X;

b. Quae directe ad ipsam doctrinam referuntur, ut hanc esse doctrinam in Jansenii *Augustino*, hunc esse sensum talis loci scripturistici.

3. De hujusmodi factis potest esse saepe certitudo humana; sed aliquando necesse est ut de iis pronuntiet Ecclesia authentice, utpote sine quibus veritas dogmatica periclitetur, et secundum hoc cadunt sub magisterium.

4. Practice jus suum in hujusmodi factis antiquitus exercuit Ecclesia cum anathema ferret in *hunc* hominem, *hanc* determinate propositionem, cum *hanc* determinate professionem fidei exigeret, etc. Sed accuratior hujus rei tractatio Jansenistis debetur, contra quos Pontifices potestatem et pronun-

tiandi de doctrina sensus qualis et judicandi authentice de sensu auctoris (sensus quis) vindicaverunt.

Quid in ea re Bossuetus? cf. Gazeau, *Études*, 1875, t. 33, p. 57 sq.; R. de la Broise, *Revue des facultés catholiques de l'Ouest*, avril 1893, p. 551 sq.

5. Quod Ecclesia sit infallibilis in factis dogmaticis est theologice certum; quidam, ut Ligorius, volunt esse de fide.

6. Exempla definitionis in facto dogmatico inter multa haec afferri possunt : Nicaenum Arii personam et librum, Ephesinum Nestorii, Constantinopolitanum II tria trium capitula damnavit; Nicaenum, Ephesinum, Tridentinum certo vocabulo fidem quasi signavit (ὁμοούσιος, θεοτόκος, *transsubstantiatio*); Lugdunense II certam fidei formulam Palaeologo imposuit; clarius etiam, si potest, ad rem nostram Constantiense, E. 546, 551, 553-5, 568, 575 : Tridentinum authentiam Vulgatae vel expresse, vel certe implicite et practice definivit, E. 666, cf. 667; Pius V Baianas propositiones esse « proprio verborum sensu ab assertoribus intento » perniciosas pronuntiavit, E. post 959 [1]; idem in Jansenio ejusque asseclis, E. XCI, CI, CII, etc.

107. 7. **De doctrina implicita in practicis** [2]. — 1. Non solum, nec fortasse praecipue, docendo decretisque dogmaticis manifestat Ecclesia fidem suam, sed etiam agendo decretisque disciplinaribus, in quibus implicita saepe est veritas aliqua religiosa. Sic ex baptismo parvulorum ostenditur fides de peccato originali, de efficacia sacramenti ex opere operato, etc. Sic ex adoratione hostiae ceterisque ritibus eucharisticis (ut fiunt sc. concrete fides de praesentia reali. Sic ex festo Conceptionis fides de immunitate B. Virginis ab originali peccato.

2. Sequitur, ut patet, extendi infallibilitatis praerogativam ad practica quaedam, ita scilicet ut non possit Ecclesia suprema auctoritate aut praxi universali decernere, probare, efficere quod sit aliquo modo regulis fidei vel evangelicae sanctitatis oppositum. Exempla sunt : jus canonicum, canonizatio solemnis sanctorum, approbatio definitiva ordinum

1. Nihil huc, ut patet, nobilis illa cavillatio de commate piano.
2. Cf. Salv. di Bartolo, l. c., *Criterio* VII, et *Criterio* IV.

religiosorum, cultus universalis et *devotiones* quae dicuntur.

3. Sed non eodem modo intervenit in horum singulis infallibilitas, vel ex praxi infertur sensus Ecclesiae. Res ergo est diligenter in singulis casibus tractanda. Hic pauca, exempli causa.

a) Potuit aliquis Papa in aliquo casu minus prudenter aut firmiter agere aut decernere, non ita tamen ut inde sequeretur vel error universalis, vel morum corruptio, vel ruina Ecclesiae.

b) Potuit Ecclesia intervenire in ordaliis non ad probandum, sed ad moderandum; *aliqui* potuerunt male probare. Similiter in divortiis vel matrimoniis.

c) Ex eo quod Ecclesia imponit clericis coelibatum, concluditur non malum esse coelibatuum clericorum neque in ruinam morum.

d) Quod Ecclesia aliquando prohibuit usuram, nunc permittit, non est contradictorium. Nam neque eadem sunt adjuncta, neque *idem* omnino vetabatur quod nunc permittitur.

e) Aliud est insertio in Martyrologium, aliud cultus localis aut permissus, aliud canonizatio solemnis et cultus universalis impositus.

Canonizatio, sive decretum est immediate dogmaticum sive disciplinare, infallibilitatem importat.

Praecipi universali Ecclesiae cultum ejus qui sit reprobus repugnat. Quaestio non est ita clara de eo qui nunquam exstiterit.

Errari de nomine aut de vita, confundi in unum duos sanctos, vel in duos dividi unum non repugnat.

f) Permissio cultus non est decretum definitivum, sicut nec beatificatio. Impositio cultus ad universalem Ecclesiam importat aliquando facti veritatem, si res sit dogmatica (ut in Immaculato Conceptu, in Assumptione); non videtur semper importare veritatem facti mere historicam, cum potius videatur Ecclesia personam honorare quam hoc ipsum factum, de ipso cultu statuere quam de facto. Videndum est quis sit sensus ecclesiae vel fidelium : quod aliquando non ita facile dignoscitur. Diligenti examine digni sunt casus hujusmodi :

Potestne aliquid concludi historice ex festo Praesentationis

B. Virginis, ex festo apparitionis S^i^ Michaelis in monte Gargano, ex festo stigmatum S^i^ Francisci? Intenditne Ecclesia pronuntiare (etsi non definitive cum non sit cultus impositus) de facto miraculoso in officio de Translatione domus Lauretanae, de apparitione Lapurdana, de Bono Consilio, de Sacro Numismate? An modo cultum qualis exhibetur domui in qua Verbum caro factum sit, imagini, numismati, Virgini Lapurdanae approbat? Item quid sequitur ex cultu B. Virginis de Monte Carmelo, praeter approbationem Scapularis et cultus virginei? Cf. n. 121[1].

g) Certum est non pronuntiare Ecclesiam de valore historico Martyrologii, Legendarum Breviarii, nisi in confuso et respectu *alicujus* diligentiae in inquirendo vel *alicujus* credibilitatis, quatenus non fabellas intendit narrare, sed historias vel veras vel satis communiter (quo tempore sc. factum est Officium) receptas.

Utitur scilicet historiis ad aedificationem, non ipsa docet historiam aut opus criticum facit, nisi quatenus utile est, pro rerum temporumque adjunctis, ad suum finem.

Etiam cum alludit ad facta aliqua in orationibus suis (ut in collecta sanctae Catharinae aut B. Margaritae Mariae), non eo ipso facta canonizat, sed ex factis, prout traduntur, elicit orationem, nihil de iis pronuntiat.

Paucis. Liturgia res disciplinaris est, sed significativa doctrinae; factis autem utitur, ut vehiculo doctrinae et orationis humano, non intendit de iis authentice pronuntiare.

Cum Ecclesia inquirit aut pronuntiat de revelationibus, apparitionibus, miraculis, non intendit habere nisi probabilitatem aut certitudinem humanam eamque practicam, quae scilicet satis sit ad fovendum cultum; item cum de authenticitate reliquiarum. Saepe negative se habet potius quam positive : nihil esse in tali libro contra fidem aut mores. Item practice non speculative agit cum vel hunc cantum vel hos libros liturgicos approbat aut ad usum imponit.

h) Litterae laudativae ad scriptores librorum non sunt exercitium auctoritatis.

Cf. Boudinhon, *Et si ce n'était pas vrai?* in *Revue du clergé français*, 1900, t. 22, p. 241.

108. 8. **De habitudine Ecclesiae discentis ad docentem** jam dictum est, n. 96. Porro haec nunc est tendentia ut multum tribuatur fidelium sensui et Spiritus sancti instinctui in fidelibus. Cf. *L'Église enseignante et l'Église étudiante : science et autorité,* d'après M. H. Schell, par G. Gazagnol, in *Revue du clergé français*, 15 oct. 1904, t. 40, p. 395-409. Quod ut bene et utiliter fieri potest, ita cavendum est (quod aliqui non satis faciunt) ne aut partes magisterii minuas, aut auctoritati tanquam ἑτερονόμῳ detrahas, aut actionem Spiritus sancti internam a magisterio sejungas vel utrumque opponas, cum haec actio (quantum ad doctrinas pertinet) in eo maxime sit ut « aperiat cor intendere his quae dicuntur » a magistris (*Act.* 16. 14), adjuvetque ut ea conservent conferentes in corde suo ad fructificandum. Cf. Epistolam Leonis XIII ad Cardinalem Gibbons (de *Americanismo*), 22 januarii 1899 (*Questions actuelles*, t. 48, p. 8-10). Item Epistolam *De Spiritu sancto*, quae incipit *Divinum illud*, 9 maii 1897.

Eodem modo cavendum est ne dum reclamatur contra formulam *Église enseignée*, ut ei substituatur formula *Église étudiante,* cadat e memoria *discere* Ecclesiam a *magistris* divinitus institutis, et suscipi fidem (ut habet Vaticanum) sub Ecclesiae magisterio.

Non sunt disjungenda scilicet quae Deus conjunxit, neque pervertendus ordo inter fideles et magistros, neque opponendus influxus Spiritus sancti internus auctoritati externae magisterii [1].

1. Multi e Protestantibus non modo haec disjungunt sed contraria esse contendunt. Sic Sabatier cujus in hunc sensum totus est liber *Les religions d'autorité et la religion de l'esprit*, qui quomodo ea pervertat quae de influxu Spiritus sancti habet Scriptura et Traditio, vide, exempli causa, p. 431 sq., p. 439 sq., p. 462 sq., toto l. 3, c. 3, et 4; item, p. 535.

PARS TERTIA

DE EVOLUTIONE DOGMATIS ET PROGRESSU FIDEI.

Hanc partem quatuor capitibus comprehendemus : notionibus praeambulis et generalioribus, de depositi formatione et stabilitate praesentis oeconomiae, de evolutione dogmatis, de scientia fidei.

CAPUT I.

PRAEAMBULA ET NOTIONES GENERALIORES.

109. 1. **Libri et documenta**. — Multa jam indicata sunt n. 4 vel 5; cf. Kihn, l. c. p. 373, et Bellamy, l. c. c. 5, § 3. Ad hanc potissimum partem pertinent :

Constitutionis Vaticanae *Dei Filius* c. 4; cf. Vacant, l. c. in h. l.; Vincentii Lirinensis c. 22-3, n. 27-32; Augustinus, passim (testimonia multa vel exhibet vel indicat Hurter in Vincentii c. 23, *Opuscula selecta Patrum,* t. 9, p. 216 sq. cf. Franzelin [2] p. 304).

Newman, l. c. ad quem accedunt : Darboy, *Comment y a-t-il progrès doctrinal dans le catholicisme,* Correspondant, t. 23 (1849), p. 284; M[gr] Goux, *Du développement des dogmes dans la doctrine catholique*, 1858; Perreyve, *Entretiens sur l'Église catholique,* Paris 1865, t. 1, c. 3, § 5 sq.; A. Firmin (= A. Loisy [1]),

1. Idem postea non semel suam ipse sententiam aut expressit aut insinuavit: ibidem, *La théorie individualiste de la religion*, passim, vg. p. 214-215; ibid. *L'idée de la révélation*, t. 21 (1900) p. 250; ibid. *Les preuves et l'économie de la révélation*, t. 22 (1900) p. 126; etc. Similia sub suo jam nomine in *L'Évangile et l'Église*, 1902, maxime c. 4.; *Autour d'un petit livre*, 1903, maxime c. 6. Cf. E. Portalié, *Dogme et histoire*, in *Bulletin de littérature ecclésiastique*, février-mars 1904.

Le développement chrétien, Revue du clergé, t. 17 (déc. 1899), p. 5 sq.

Kleutgen, *Die Theologie der Vorzeit,* 1re édit. t. 1, p. 35 sq. Münster 1853 ; t. 3, p. 1 sq., p. 545 sq., p. 883 sq., Münster 1860. Franzelin, l. c. th. 22-26. Ad quem accedit Prunier, *Évolution et immutabilité de la doctrine religieuse dans l'Église,* 2e édit. Paris 1899; item Perriot, in Dictionn. apologétique de Jaugey, art. *Dogme catholique (développement du);* Kirchenlexicon 2 art. *Dogmenentwicklung;* Scheeben, l. c. t. 1, n. 46-55, n. 597-610; Didiot, *Logique objective,* 1892, n. 891-902; Vacant, l. c.

Item, potissimum in suis Introductionibus, et scriptores historiarum dogmatis, ut Klee, Schwane, Ginouilhac, et quicumque vel totam theologiam magis historice tractarunt, ut Petavius, Thomassinus, vel aliquod punctum speciale, ut P. de Régnon, *Études sur la Trinité;* quibus liceat addere complures articulos J. V. Bainvel sub titulo generali *L'idée de l'Église,* in Études 1897, in Quinzaine 1899, in Science catholique 1899-1900; item ejusdem caput in Un siècle, cujus titulus est : *Le dogme et la pensée catholique* (au xixe siècle); *Histoire d'un dogme,* Études, 5 déc. 1904.

Cum respectu ad placita recentiorum : Fonsegrive, *Le catholicisme et la vie de l'esprit,* c. 3 et 9, Paris 1899. Eamdem quaestionem saepe tetigit Brunetière, v. g. in *Discours de Lille,* 18 nov. 1900.

Ex professo, P. de la Barre, l. c., cujus occasione multi multa, cf. L. Maurice (pseud.), *La vie du dogme,* Sillon, 25 mai 1899, t. 6, p. 447.

Mgr Mignot multa scripsit de his rebus : *L'évolutionisme religieux,* Correspondant, 10 avril 1897, t. 187, p. 3-42; *La méthode de la théologie,* Discours prononcé à l'Institut catholique de Toulouse le 13 nov. 1901, Bulletin de littérature religieuse, vel Questions actuelles, 15 mars 1902, t. 62, p. 354-368; *Critique et tradition,* Correspondant, 10 janvier 1904, p. 3-32.

V. Ermoni notiones vulgares suo modo exposuit : *Le développement du dogme et ses lois,* Revue du clergé français, février et mars 1903; cujus multi sunt articuli de iis rebus

passim modo in Revue du clergé, modo in Quinzaine.

L. de Grandmaison, *L'élasticité des formules de foi,* Études 1898, t. 76, p. 341 et 478; idem de Harnack in Études, 5 février 1902, 5 et 20 août 1903; de Sabatier, 5 et 20 juillet 1904.

M. de la Taille, *Quelques précisions sur la révélation et le dogme dans leurs relations avec le progrès,* Études, 20 nov. 1904, t. 101, p. 506-525.

G. Tyrrell, similia saepe tractavit passim : *The faith of the millions.* 2 vol., London, 1901; cf. Dimnet, *Une meilleure voie,* Revue du clergé français 1er et 15 juin 1902, t. 31, p. 5 et 129. — *Lex orandi*, London 1903. Is iniquius fere in theologiam et theologos, nisi quod semel ad eos accedere visus est, cum scripsit *Semper eadem,* Month, janv. 1904. — E. Dimnet, *M. Wilfrid Ward, Évolution et théologie,* Revue du clergé français, 15 déc. 1904, t. 41, p. 113-138.

Huc referri etiam possunt Blondel, *Dogme et histoire.* Quinzaine janv. févr. 1904; de quo cf. *La valeur historique du dogme,* Bulletin de littérature ecclésiastique, déc. 1904, cum bibliographicis.

Doctrinam acatholicorum nunc communissimam exhibent libri jam citati Harnack et Sabatier.

110. 2. **Argumentum hujus partis et ratio tractandi.** — Haec pars est de ipsa historia veritatis revelatae, et quodammodo de ipsa historia revelationis. Huc autem quatuor potissimum referuntur :

a) Spectata doctrina revelata, quaeri potest : primum utrum omnia Deus ab initio revelaverit, an alia aliis temporibus, idque quo ordine, quali habitudine; deinde num sit et a quo tempore ita completa revelatio ut nihil novi nec additum sit nec addi debeat;

b) Spectata oeconomia tradendi et organo traditionis, num eadem fuerit ab initio magisterii ratio, et num ea quam institutam a Christo esse demonstravimus, perpetua sit futura :

c) Spectata propositione fidei per magistros authenticos, utrum omnia revelata sint eodem modo ab initio proposita, an alia aliter aliis temporibus, idque quo pacto, qua occasione, quibus declarandi et proponendi rationibus et formulis;

d) Spectata subjective cognitione et intellectione veritatis, spectata etiam objective scientia fidei (quae est Theologia), num sit in ea re progressus, et qualis sit, quibus legibus adstrictus, quibus de causis dependens.

In iis autem, sive rei momentum theologicum cernitur, sive res polemice agitur, praecipua consideratione digna sunt haec duo :

1. Num revelatio sit completa, et num praesens oeconomia perpetua sit futura;

2. Num et quo sensu sit progressus in dogmate.

Prius negarunt haeretici multi, Montanistae, Manichaei, Fraticelli, homines *Evangelii aeterni,* Anabaptistae, Irvingiani, Swedenborgiani, Adventistae, alii. A quibus non satis, ut videtur recedunt Catholici quidam, nescio quam rerum instaurationem per Christum, Millenarismi instar somniantes.

In altero occurrendum est cum Protestantium et Schismaticorum criminationibus, qui nunc nova nobis, ut aiunt, dogmata objiciunt, nunc contendunt (atque haec Protestantium ac rationalistarum criminatio est) nec licere Catholicis ullum progressum in dogmate, nec dogmaticam illam Catholicorum immutabilitatem cum mentis humanae natura aut scientifici progressus legibus consistere; tum Güntheri placitis qui nimium tribuit evolutioni dogmaticae. A quo non satis videntur recedere Catholici quidam nostris temporibus qui, utut veritatem revelatam objective immutabilem admittunt, in doctrinis tamen ipsis veram mutationem et ejusmodi progressum qui non stet cum eodem sensu dogmatis inducunt. Cf. articulos sub nomine A. Firmin in Revue du clergé vel eos qui supra sunt indicati vel eum maxime cujus titulus est *La religion d'Israël*, t. 24, p. 337 (1900) ; item articulum sub nomine Isid. Després, *La lettre de Léon XIII au clergé de France et les Études d'Écriture sainte,* ibid., t. 23 (1900) p. 1. — Qui etiam non satis distinguunt œconomiam vel veteris vel novi testamenti et revelationis scriptae hinc ab œconomia Testamenti, quod dicitur, æterni, inde ab œconomia Ecclesiae postapostolica. Cf. ibid. passim, v. g. t. 17 (1899) p. 8, p. 12; t. 23 (1900) p. 15. In eumdem sensum H. Schell, de quo cf. L. Bachelet, Études 1899, t. 78, p. 622; Gazagnol, *L'Église enseignante et*

l'Église étudiante, Revue du clergé, 15 oct. 1904, t. 40, p. 395.

111. 3. **De opinionibus Günther, Harnack, A. Sabatier.** — Eae opiniones, etsi aliquid commune habent, differunt tamen inter se.

Hoc habet præcipuum error Güntheri, in Concilio Vaticano proscriptus quod veritatis revelatæ sensum catholicum ita evolvi putaverit ut, pro philosophiæ progressu, aliud aliis temporibus pro vero sensu dogmatis posset haberi, definitionum autem Ecclesiæ veritas ita esset relativa, ut Ecclesia id infallibiliter proponeret eumque sensum dogmati tribueret quod melius temporibus congrueret. Cf. Franzelin th. 25, n. III, p. 309 sq.; Kleutgen t. 3, n. 656, p. 1035 sq.

Harnack theoriam suam ipse breviter exponit in suis Prolegomenis ad historiam dogmatis. Cf. ejus compendium gallice translatum, *Précis de l'histoire des dogmes,* par Ad. Harnack, traduit par Eug. Choisy, Paris 1893, n. 1-10. Hujus theoriæ hæc sunt præcipua capita : Omnes religiones originem suam a revelatione divina repetunt; christiana a Dei manifestatione per Christum et in Christo. Quæ religio cum importet quamdam Dei, mundi, finis rerum scientiam, eam scientiam necessario vult articulis quibusdam fidei et formulis comprehendere, ac necessario ostendere eorum articulorum veritatem comparative ad scientiam mundi et ad historiam. Sed cum iis articulis aliquid absolutum concludere homines conentur, scientia autem utpote essentialiter relativa, varietur, nunquam dari potest solutio problematis perfecta et adæquata. Præcipua fuit solutio catholica quæ pro divinis habuit libros quosdam et quasdam doctrinas ore traditas — e quibus libris cum educti essent articuli fidei inter se connexi (de Deo, de mundo, de œconomia salutis) et formulis definitis conclusi, ii articuli pro summa christianæ religionis sunt habiti, et propositi ut necessarii ad salutem atque ad communionem catholicam; iidem articuli simul præbebant christianorum ingeniis objectum quod suis meditationibus augerent et amplificarent. Sunt ergo duo stadia in evolutione dogmatis, stadium formationis, stadium expansionis. Expansio vero illa theoretice est illimitata,

practice suos habet limites, suum determinatum exitum.

At non sunt hæc dogmata quod creduntur esse, ipsa sc. revelatio christiana objective sumpta; immo nihil aliud est totus ille christianismus dogmaticus quam opus ingenii græci in materia evangelica elaborantis. Ad hanc elaborationem aliæ etiam causæ concurrerunt, sed non ita præcipuæ.

Errant ergo qui habent dogma pro puro evangelio; errant simul qui putant esse dogma immutabile et semper idem, cum dogma nihil aliud sit nisi opus theologico-philosophicum (quanquam Ecclesia laborem theologorum quantum potest dissimulat. pro veteribus affert eorum inventa, non raro etiam erroris insimulat, evolutione facta, eos ipsos qui fuerunt evolutionis artifices).

Nec tamen omne abruptum est vinculum evolutionis dogmaticæ cum *fide* et *principiis* evangelicis. Reditum enim ad hæc principia tentarunt ipsi dogmatis assertores, ut Augustinus, ut potissimum Lutherus. Unde factum est ut etiam *una* aliquo modo fuerit toto temporum decursu *fides* christiana, cum perseveraverint semper in illa dogmatum evolutione semina quædam et principia evangelica.

Is autem debet esse fructus historiæ dogmatum, ut christianorum mentes ab illis dogmatum vinculis liberæ id faciant quod Augustinus vix inceperat, quod Lutherus initio quasi præsagierat, sed perficere non est ausus, Ecclesiam a dogmatico christianismo liberent, totam religionem christianam ad suam puritatem restaurent, ad manifestationem Dei in Christo, ita ut religio hæc nihil sit, nisi, quod initio fuit, fides viva in Deum vivum qui in homine Christo et per hominem Christum sese manifestavit et amorem suum ostendit. Cf. *Précis*, p. 432. Sic Harnack, fere post Ritschl (cf. Goyau, *L'Allemagne religieuse*).

Eodem fere recidunt theoriæ A. Sabatier in libro suo *Esquisse d'une philosophie de la religion,* hoc tamen discrimine quod Sabatier et dogmata necessaria esse credit omni omnino religioni (quæ religio tota est in sensu quodam nostræ indigentiæ et dependentiæ a Deo, et ea nihil esse nisi symbola varia quibus hunc sensum religionis homo ut potest exprimit. Unde fit ut tum habeatur tandem ea conciliatio scientiæ cum

fide cum admittitur fides non quidem sine ullo dogmate sed in quolibet dogmate imbuta et cum quolibet dogmate connexa. Erit ergo indefinitus et indefinite varius, pro rerum et scientiæ humanæ vicissitudinibus, dogmatis progressus et evolutio[1].

112. *N. B.* — Multa cum his affinia facile est deprehendere in iis A. Firmin articulis qui supra sunt indicati. Qui ipsi multa jam habent affinia iis quae damnata sunt decreto *S. Officii* 16 déc. 1903 et *Indicis* 4 déc. 1903 : *La religion d'Israël*, *L'Évangile et l'Église*, *Études évangéliques*, *Autour d'un petit livre*, *Le quatrième Évangile*.

113. 4. **Methodica**. — Toto in illo argumento multa sunt, ut perspicuum est, historica; quin etiam huc et tota historia revelationis et dogmatum historia aliquo modo refertur. Nos non possumus rem nisi theologice tractare; ita tamen tractabimus ut nec eam lucem quae ex historia et psychologia hic affulget negligamus et exempla ex dogmatis iis in quibus elucent evolutionis dogmaticae leges pro opportunitate afferamus.

114. 5. **Notio evolutionis duplex**. — Aliquando opponitur, etiam a Catholicis, theoria Newmanica de evolutione theoriae communi theologorum, quasi theologi nullum alium dogmatis progressum admittant nisi logicum vi cujus implicita fiant explicita, conclusiones deducantur ex principiis, etc.; Newman vero progressum vere vitalem admiserit, in assimilatione sc. elementorum extrancorum. Sed haec oppositio nulla est. Nam theologi omnes suas faciunt declarationes Vincentii Lirinensis, qui progressum sc. vitalem admittit; positiones autem Newmanicae non aliter videntur differre a Vincentianis, nisi quod Vincentius principia tantum theologica consideravit, et quidem brevissime atque in genere, ut qui rem uno capite vel duobus absolvat, Newman vero non tam theologice rem inspexit quam psychologice et historice, ut qui vellet videre num *nova* ea Ecclesiae Romanae dogmata quae Conciliis recentioribus, ut Tridentino, essent sancita, possent necne reduci ad ejus generis evolutionem quam a primis jam saeculis videmus, ac proinde num logice possent Anglicani objicere Romanensibus dogmaticas innovationes non legitimas: ad quod accedit quod

1. In his et similibus deprehenditur fere aliquis influxus hegelianus cum in notione revelationis tum in vi evolutiva ideae.

Newman argumentum hoc non obiter et paucis, sed ex professo et toto libro suo pertractat.

Quin etiam non satis distinguitur ab iis qui ita loquuntur progressus dogmaticus stricte dictus a progressu theologico. Neque enim sunt dogmata proprie dicta eae conclusiones quas theologi ex una praemissa revelata ratiocinando et philosophando deducunt — etiam si eae conclusiones auctoritate infallibili Ecclesiae sunt sancitae; dogma enim non est nisi quod est formaliter revelatum, non quod virtualiter tantum est revelatum.

Quid vero sit revelatum, quid non sit, ex analogia sermonis humani repetendum est. Cum enim revelatio sit locutio Dei ad homines per prophetas vel scriptores inspiratos, id dixisse Deus censendus erit quod iisdem in adjunctis dixisse hominem judicaremus.

CAPUT II.

DE DEPOSITI FORMATIONE ET STABILITATE PRAESENTIS OECONOMIAE.

In hoc capite duae sunt partes, altera fere historica, de depositi formatione, altera magis theologica utrum depositum sit completum, et utrum praesens oeconomia magisterii futura sit perpetua. Hanc quaestionem in articulo 1 tangemus, de illa breviter in articulo 2.

ARTICULUS 1.

De depositi perfectione et duratione praesentis oeconomiae.

Duo sunt, ut apparet, in hoc articulo. Sed haec duo possumus, cum sint inter se valde connexa, una propositione comprehendere. Duo ergo dicimus : non jam fieri novas revelationes, ita ut tota oeconomia magisterii de quo diximus sit in depositi custodia. Unde si quid novum docet Ecclesia ut revelatum, credendum est non esse revelatum post mortuos Apostolos. Agitur porro de revelatione publica, quae fiat Ecclesiae, non de privatis revelationibus, quas Ecclesia nunquam proponit Ecclesiae, *ut tales*.

THESIS 13.

Ut oeconomia magisterii a Christo instituti perpetua futura est; ita post mortuos Apostolos nulla novi dogmatis revelatio neque fuit neque futura est.

S. Thomas, 1, 2, q. 106, a. 4; Franzelin th. 22; Didiot, l, c.; Egger, *Enchiridion*, n. 195-7; De Groot, q. 8, a. 2, p. 237 sq.; Scheeben, n. 53.

Thesis videtur esse de fide, saltem implicite, quatenus imbibitur vel in doctrinis explicite revelatis, vel in communi

sensu et agendi ratione Ecclesiae; et sic datur a catholicis passim.

PROBATUR 1. — *Oeconomia haec futura est perpetua.*

115. 1. Thesis continetur in thesi de perpetua duratione et indefectibilitate Ecclesiae ut pars sub toto. Nam potestas docendi est ex essentialibus Ecclesiae.

Applicari ergo hic possunt quae afferri solent, ad probandam Ecclesiae indefectibilitatem, de perfectione et immobilitate oeconomiae Christianae, de regno Christi aeterno, Hebr. 7. 11 sq.; 8. 5-13; 12. 27-28; item quod dicitur mediam esse Ecclesiam inter Synagogam et caelum, inter umbram et visionem, ita ut, sicut Ecclesiae Synagoga decessit, sic fides visioni, idque sine intermedio. Cf. Franzelin l. c. I, 1, p. 269-270.

N. B. — Diserte dicunt Apostoli : Exspectate, non novam oeconomiam, sed diem judicii.

116. 2. Continetur quoque in thesi de apostolicitate Ecclesiae, cum haec duo semper connexa et in Scriptura et a Patribus exhibeantur, veritas ac divinitas doctrinae, magisterium apostolicae successionis : cum Apostolis fore Christum et Spiritum sanctum in aeternum, Apostolis semper fore credendum, rejiciendos esse novos magistros qui a nemine missi praedicent. Haec jam in Evangelio expressa inculcant Apostoli, repetunt Patres : Ignatius, Irenaeus, Tertullianus, quicumque contra Gnosticos, contra Montanistas, cet. pugnaverunt. Exemplo sit Tertullianus in Praescriptionibus : quidquid ab Apostolis non sit, ab hominibus et daemoniis esse, 6, 7; nec curiositate, nec inquisitione opus esse post Christum; si quid quaerendum sit, apud fratres doctores esse quaerendum, 14; ab Ecclesiis apostolicis traducem fidei et semina doctrinae certae omnibus petenda, 21, cet [1].

Huc referri etiam possunt (alio sensu dicta) verba illa Augustini : « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae commoveret auctoritas. » Huc multa quae dicentur in parte 2.

1. Aliter, ut scitur, Tertullianus factus Montanista. Cf. A. d'Alès, l. c. c. 9, § 2, 3, 4.

PARS 2. — *Non fieri novas revelationes.*

117. 1. *Ex Scripturis.* Scripturae indicant traditam esse Apostolis *omnem* veritatem, per eos successoribus transmittendam, per alios depositi instar custodiendam. Ergo. — *Prob.* Antec. *Joann.* 16. 12-15 : Docebit vos omnem veritatem, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν; *Joann.* 17. 17-20 : Sicut tu me misisti..... et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum...; *Mat.* 28. 20 : Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis...: *Marc.* 16. 15 : Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae.

Ex his indirectum quidem aliquo modo, sed, ut videtur, satis efficax efficitur argumentum. Magis directe ex sequentibus :

Nemini esse credendum qui aliud evangelizet, *Galat.* 1. 6-9;

Edificatam esse Ecclesiam (ergo et ejus fidem) super fundamentum apostolorum et prophetarum... unde sit unitas fidei et perfectio fidelium, *Eph.* 2. 20; cf. 4. 11 sq.

Jubentur successores permanere in iis quae ab Apostolis didicerunt, bonum depositum custodire, etc. *1 Tim.* 1. 13 sq.; 3. 14; cf. *Rom.* 16. 17.

Ergo Apostolorum fuit totam fidei doctrinam a Deo acceptam tradere, successorum ab Apostolis traditam servare.

N. B. — Vides non esse hanc thesim diserte et expresse in Scripturis; — est tamen unde appareat supponi in Scripturis hanc doctrinam.

118. 2. *Ex sensu Ecclesiae.* Ecclesia semper, theoretice simul ac practice professa est non fieri novas revelationes, neque esse veram fidem nisi apostolicam. Cf. Franzelin l. c. II, 2, p. 277-279. Hinc :

— Solemne axioma a primis usque temporibus : Omne novum falsum.

— Verba Vaticani, magisterii infallibilis esse « non Spiritu Sancto revelante novam doctrinam patefacere, sed eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodire et fideliter exponere. » Const. *Pastor Æternus*, c. 4, E. 1679. Cf. E. 1645.

— Doctrina de progressu fidei subjectivo non objectivo, « in eodem dogmate, eodem sensu eademque sententia. » E. 1647. De quo infra.

— In hunc sensum multa Tertullianus, *Praescription.* 8 : « Hoc... prius credimus, non esse quod ultro credere debeamus ». Cf. ibid. 9, 20-21, 22 et 25, « nihil Apostolos ignorasse », etc. — Item Vincentius lirin. n. 26 (c. 21) — et passim ; item Irenaeus, l. 4, c. 33, n. 8, etc... Plura et ex Patribus et ex Theologis apud Franzelin l. c.

119. 3. *Ratione theologica*, quae ex dictis enascitur. — Haec revelatio fidei Christianorum non posset proponi nisi Ecclesia eam susciperet, si est facta privato, aut immediate eam acciperet ipsa (in persona sc. magistri supremi, vel omnium magistrorum), atque in utroque casu eam authentice doceret, vi muneris sibi a Deo injuncti. Atqui nihil ostendit potestatem hanc esse Ecclesiae commissam ; immo contrarium evincitur ex textibus. Ergo.

SCHOLIA.

120. 1. Aliquo modo ad opiniones de nova oeconomia accedunt ea quae etiam nostris temporibus docent aliqui Catholici, qui vel confuse aliquid novum in fide et in oeconomia Providentiae, nescio quam rerum omnium evolutionem aut renovationem, vel millenarismum suo modo restaurant, quorum opiniones sibi non placere jam ostendit Ecclesia. Vide opera vel opuscula D. Chavauty, D. Bigou. Cf. etiam Didiot, *Logique surnaturelle objective,* n. 892, 898-900.

121. 2. De revelationibus postapostolicis et privatis, cf. Franzelin l. c. *Corollarium.* Non negamus, ut patet, fieri hujusmodi revelationes — sed negamus pertinere ad depositum fidei. Quanquam eae valde utiles esse possunt Ecclesiae, et aliquando fuerunt, ut in cultu, Eucharistiae, Sacratissimi Cordis Jesu, etiam, ut videtur, S. Josephi. Hujusmodi autem revelationes nihil, ut patet, continebunt quod sit *contra* magisterium Ecclesiae. Si quid habent quod sit *praeter* doctrinam Ecclesiae. Ecclesia hanc doctrinam non facit suam. Si *id ipsum* revela-

tur, quod aliquo modo jam est in deposito aut cum deposito connexum, sed clarius et distinctius, potest quidem inde excitari et dirigi aliquatenus inquisitio, adjuvari magisterium, sed non ita ut decreta magisterii (sive doctrinalia, sive disciplinaria) fundentur et innitantur proprie ipsa revelatione. Hinc :

a) Si quis cultus initium habuit quodammodo ab aliqua revelatione, approbat fere Ecclesia cultum independenter ab ipsa revelatione — sic in festo Eucharistiae, Sacratissimi Cordis.

b) Si quod festum approbat aut instituit Ecclesia necessario, connexum cum aliqua apparitione vel aliquo miraculo (ut de apparitione S. Michaelis, de sacro numismate, de apparitionibus Lapurdanis, etc.), respicit Ecclesia potius ipsum cultum, quam factum miraculosum. Factum illud non fit ergo ea ratione theologicum.

c) Si Deus aut aliquis sanctus, in hujusmodi apparitionibus aut aliter, suam intentionem aut voluntatem manifestat, Ecclesia cum huic voluntati divinae obtemperat, non tamen ipsi manifestationi hujus intentionis certitudinem vult attribuere nisi historicam; quin etiam non super hanc intentionem ut manifestatam fundantur proprie decreta Ecclesiae.

Cum Ecclesia *approbat* revelationes non intendit docere rem esse revelatam, sed :

1. Nihil in hujusmodi libris esse contra fidem aut mores;

2. Adesse indicia veritatis, quibus prudenter assentire *fide humana* liceat;

3. Non esse ergo *contemnenda* hujusmodi facta, nec libros quibus narrantur.

N. B. — Quae de revelationibus dicta sunt, variis *inspirationum* generibus facile applicantur.

122. 3. Ex dictis apparet sedulo distinguendum esse inter haec duo : hinc revelationes vel inspirationes, inde assistentiam. Cf. E. 1636, 1679, ubi ipsum Vaticanum hanc distinctionem invexit. Patres vero non semper ita diligenter loquuntur, cf. Franzelin l. c. p. 280, n.

ARTICULUS 2.

De formatione depositi et progressu revelationis objectivo.

123. Praeter notos libros Danko, Haneberg, Pelt, Wilmers; praeter speciales de aliquibus inquisitiones, ut de Prophetiis, de idea messianica, de anima et ejus immortalitate apud Hebraeos, etc., conferri possunt, ut quaestionem generalius attingentes : Bossuet, *Discours* sur l'histoire universelle, 2e partie; Kleutgen, *Theologie der Vorzeit*[1], t. 3, tr. 6, c. 1, p. 885 sq.; Scheeben n. 46 sq.; Egger, n. 101-111; Franzelin, th. 26. — Multa etiam, et quidam egregia, de ea re apud S. Thomam passim, v. g. 1. 2. q. 98-108; 2. 2. q. 1, a. 7, 8; q. 174, a. 6; item apud veteres theologos, ubi de objecto fidei. Nos tria breviter.

124. 1. **Phases variae revelationis**. — Prima revelatio facta est Adamo innocenti. Quae quantum patuerit, et quid de ea post lapsum permanserit, nescimus. Etsi quaedam de ejus scientia infusa possumus ex convenientiis rerum conjicere. Cf. S. Th. 1, q. 94, a. 3; Le Bachelet, apud Vacant, *Dictionnaire de théologie*, art. *Adam*.

Revelatio *nostra* est vel praeevangelica (Vetus Testamentum) vel evangelica (Novum Testamentum).

Prior est patriarchalis (non scripta, qua talis), ad quam etiam accedunt ea quae ethnici a primis patribus accepta servarunt, — vel mosaica (partim scripta).

Patriarchalis tribus potissimum, ut videtur, continebatur : promissione confusa redemptoris, veritatibus religionis naturalis aliisque paucis, praeceptis et ritibus paucis ad conservandam religionem profitendamque fidem redemptoris (quae si quis ad notionem *specialis* providentiae per *specialem* cultum agnoscendae reduxerit, non multum errabit). In qua haec sunt stadia : ab Adam ad Noe, a Noe ad Abraham, ab Abraham ad Moysen. — Fit autem ad unam familiam, ita tamen ut tota familia humana aliquid potuerit de ea accipere, prout vel ad hanc familiam pertinet, vel cum ea commercium habuit.

Mosaica patriarchalem conservat et illustrat, eique superaddit praecepta multa moralia, ceremonialia, judiciaria. — In ea

distingui potest mosaica stricte dicta, et prophetica. Mosaica vero tota, qua talis, ad unum populum est et christianae praenuntia.

Evangelica Mosaicam admittit quodammodo (sublatis tamen disciplinaribus) et perficit, atque ad omnes populos dirigit. Evangelica est vel dominica, vel apostolica.

Plura de his in tractatu de legibus. Pulchre S. Th. l. c.

125. 2. **De progressu revelationis objectivo.** — Haec, pro nostrae tractationis scopo, adverte :

a) Quantum patuerit revelatio Adamo facta et per eum posteris transmissa, definiri non potest. Sed, ut non licet cum Traditionalistis omnes veritates morales et religiosas ab ea sola repetere, ita non bene negaretur quidquam in ritibus, traditionibus, doctrinis gentilium inde derivari.

b) *Novas* veritates esse decursu temporum revelatas patet; quanquam eae sunt potius ejusdem objecti (Dei, Messiae) novae illustrationes et manifestationes quam res novae. Atque hoc sensu loquitur S. Thomas 2. 2, q. 1, a. 7, cf. 2. 2, q. 174, a. 6. Vide Scheeben, n. 55. Alia ergo significatione Angelicus eadem verba (implicite, explicite) de progressu objectivo revelationis usurpat, quae nunc solent de progressu fidei subjectivo intelligi.

c) Censet Palmieri[2], p. 191-192, de facto non factas esse, etiam aetate apostolica, novarum veritatum revelationes post Pentecosten. Quod ut non debet de omni revelatione intelligi (cum constet Paulum non ab hominibus didicisse quae doceret sed a Domino), ita si de novae veritatis revelatione intelligitur, excipi certe debent non modo prophetiae (ut sunt in Apocalypsi aut in Epistolis Apostolorum) — quod ipse facit — sed etiam revelatio de inspiratione librorum ea aetate scriptorum (nisi quis velit contendere revelationem hanc scriptioni fuisse praeviam, et revelationem virgineae assumptionis ipsi assumptioni). — Si vero quaeritur utrum Spiritus Sanctus Apostolis, die Pentecostes, nova revelaverit, an ea quae aut Christus docuerat aut continebat Scriptura, explicaverit tantum et clara fecerit, intellectum illustrando scientiamque infundendo, prior opinio communis est, et innititur *Joan.* 16. 12-13.

d) De singulis agere, v. g. quid Patriarchae de immortalitate animae, quid Judaei de divinitate Messiae et de natura regni Messianici, quid de Trinitate noverint, etc.; item quid cui revelatum sit aut quomodo vel quando — non est hujus loci.

126. 3. **De natura rerum revelatarum.** — In objecto revelationis diligenter distingue res *propter se* revelatas et res *propter aliud* revelatas. Propter se revelantur veritates religiosae et morales, sed propter illas revelavit Deus (nobis sc.) etiam facta quaedam historica aut naturalia : voluit enim Deus nos docere per historias, per poemata, per epistolas, etc. Atque haec distinctio cum ad multa alia, tum ad hoc valet ne perperam intelligatur quod saepe dicitur, et quidem recte aliquo sensu, non legendos esse libros sacros ut libros scientificos, neque habendum esse Deum ut magistrum scientiae humanae. Non enim hoc ita debet intelligi ut nihil sit libris sacris cum scientia humana, ut nihil sit ullo modo nobis a Deo revelatum nisi quod *directe* pertineat ad fidei vel morum aedificationem.

CAPUT III.

DE PROGRESSU FIDEI ET EVOLUTIONE DOGMATIS.

Duo erunt articuli : in altero tradentur principia quibus in genere definiatur natura et amplitudo hujus progressus aut evolutionis; in altero modum ipsum et varios characteres progressus, duce Newman, diligentius investigabimus.

ARTICULUS 1.

Principia generalia de cognitione et evolutione dogmatis.

Duae erunt propositiones : in altera quasi ponuntur limites, in altera indicatur natura rei.

THESIS 14.

1. Tota revelatio catholica, etsi fuit semper, saltem implicite, in fide Ecclesiae;

2. Tamen progressum quemdam habet non modo in fide subjectiva fidelium, sed etiam in objectiva propositione et explicatione.

3. Hinc fieri potest ut aliquando de dogmate aliquo, nondum explicite proposito, fuerit controversia in Ecclesia;

4. Non autem admitti potest in universa Ecclesia neque intellectus falsus de ipso dogmate, neque aliqua opinio alicui dogmati positive contraria, neque veritatis revelatae ea corruptio et obscuratio quam objiciunt Protestantes aut Jansenistae.

Franzelin th. 23; Palmieri[2] p. 193, cf. p. 184 sq.; Egger, n. 199; Perriot apud Jaugey, l. c.; Kirchenlexicon, v. *Dogmenentwicklung*. Cf. P. de Régnon, *Études sur la Trinité*, passim, ac potissimum *Étude* 2, p. 113-128 (qui allegatur non ad illustrandam doctrinam de Trinitate, sed doctrinam de fidei et dogmatis progressu); Perreyve, l. c.; alii supra allegati.

NOTIONES PRAEVIAE.

127. 1. Implicite et explicite hic intelligitur non tantum generice — ut si quis dicit : Credo quidquid Deus revelavit, eo ipso implicite quodammodo credit omnia revelata — sed magis specifice ac determinate, ut cum dicimus unum dogma esse *in se* vel *expresse* revelatum, et aliud dogma in eo contineri et esse in alio revelatum, sicut in dogmate de omnimoda puritate Mariae includitur dogma Immaculatae Conceptionis.

Porro ad solvendam quaestionem quid explicite semper crediderit Ecclesia, quid implicite tantum, revocanda est in memoriam distinctio inter ea de quibus est fides *secundum se,* et ea de quibus est fides non secundum se sed *in ordine ad aliud.* S. Th. 2. 2, q. 1, a. 6 ad 1, cf. art. 8. De illis debet esse semper, in substantialibus, fides explicita, ita ut Ecclesia ea semper crediderit *in se* et *expresse;* de his non item, sed sufficit fides implicita. *Implicita,* inquam, non quatenus semper professa est credere se quidquid Deus revelavit, neque quatenus credidit semper aliquod dogma in quo aliud esset implicitum *quoad se,* sed quatenus semper credidit aliquod dogma in quo hoc aliud esset implicitum etiam *quoad nos,* ita ut mens humana evolvendo conceptus posset ad hoc dogma in alio implicitum pervenire. Cf. Franzelin[2], p. 284, n.

N. B. — Hic meminisse oportet, quod jam diximus saepe, non ore tantum neque sententiis absolutis aut conceptibus conscriis et expressis fieri professionem fidei, sed usu et vita, orando, adorando, etc.; item res fidei non solis formulis abstractis cognosci, sed res ipsas, quasi concrete propositas vel in se vel in aliquo signo, intuendo, etc.

128. 2. Quid sit *esse in fide Ecclesiæ* facilius intelligitur quam declaratur. In genere requiritur : *negative,* ne praedicatio ecclesiastica aut sensus Ecclesiae sit contrarius; *positive*, ut aliquando fiat de eo professio, saltem implicita, vel ore, vel actione, vel alio signo. Sed N. B. *Ecclesiæ* nomen cum pro corpore morali et sociali supponat, non importat necessario singula membra, sed ea quae, pro rei natura, corpus sociale vel efficiunt vel melius repraesentant.

129. 3. Fides subjectiva est notitia, saltem habitualis, rei revelatae (cum debito sc. assensu); ea fere respondet propositioni objectivae : prout enim docemur, solemus plurima concipere vel agere, et prout concepimus eloqui vel significare. Ubi vero sermo est non de *modo* exponendi aut proponendi, sed de *facto ipso* propositionis, redeunt distinctiones notae inter ea quae sunt de fide catholica vel definita, de fide vel de fide divina, prout res ab Ecclesia vel non expresse omnibus proponuntur, vel magisterio ordinario proponuntur, vel solemni judicio definita sunt.

130. 4. *Intellectus dogmatis* non ideo falsus est quia rem confuse aut inadaequate intelligit, neque si quid falsum quasi extrinsecus adhaeret, sed si *positive* deficit ab ipso vero, et *aliud* intelligit. — Revelatio tum *corrumperetur* si Ecclesia falsum doceret, vel negando revelatum, vel tradendo non revelatum pro revelato, vel revelatum male intelligendo aut explicando; *obscuraretur* sive quid ex dictis accideret, sive veritas revelata vel bene praedicari, vel bene cognosci desineret, ejusque professio negligeretur. Rem bene intelligas si cogites depositum fidei non ut quid inanime et mortuum (prout est pecunia in crumena aut doctrina in libro) sed ut vivacem ac fecundam in mente, in actione, in tota vita veritatis cognitionem et professionem, cf. P. de Régnon, l. c. p. 115-116, 121-124. — Corrumperetur ergo aut obscuraretur veritas revelata, si Ecclesia aut non omnia, saltem implicite, aut non recte crederet ac profiteretur.

131. 5. Thesis exhibet fidem et doctrinam catholicam. Tota enim connexa est cum doctrina de indefectibili et infallibili Ecclesiae magisterio et de apostolicitate doctrinae quam profitemur. Unde fit etiam ut sufficiat hic praecipua rerum capita breviter in memoriam revocare. — Agitur autem, ut patet, de rebus fidei et morum.

PROBATUR 1. — *Ecclesia semper omnia revelata credidit.*

N. B. — In hoc duo sunt : *a*) Non periisse quidquam de deposito ; *b*) Fuisse et esse semper de omnibus fidem. Probatur utrumque simul.

132. 1. Ex doctrina de Ecclesia et magisterio. — Non fiunt novae revelationes ; veritates autem revelatae aut sunt ex explicite credendis (et fuerunt semper in fide catholica), aut ex implicite credendis : quae vel sunt in Scripturis, vel sunt tantum in traditione. — Si in Scripturis, habemus intentum, nam Ecclesia semper credidit Scripturis, easque scrutata est. Si in traditione, veritas revelata neque perdita omnino ulla est, neque ita perdita ut postea reperiretur. Non prius. Nam efficax fuit praeceptum Christi : docentes eos servare omnia ; efficax exhortatio Apostoli : depositum custodi ; efficax promissio de assistentia Spiritus S[i], etc. — Non posterius. Nam et obstat idem : docentes omnia — et quomodo reperiretur quod ita periisset? Cf. n. 51.

133. 2. Ex sensu Ecclesiae. Is fuit semper sensus Patrum, Theologorum, totius Ecclesiae : nihil periisse de deposito Ecclesiae commisso ; nunquam negasse Ecclesiam quod aliquando credidisset, eamdemque esse patrum ac filiorum fidem — atque hanc esse partem indefectibilitatis.

PROBATUR 2. — *Non sine aliquo progressu.*

134. 1. Res evidens est vel ex eo quod datur scientia fidei (Theologia), quae et instrumentum est progressus dogmatici, et ipsa, ut ceterae scientiae, progressum admittit (imo et regressum). De quo postea. Interim cogita quae habent Patres et Theologi de vera gnosi, de fide intellectum quaerente, etc. Cf. 2 *Petri* 3. 18 ; Augustin. *Epist.* 120. 3, M. 33. 453 ; Anselm. *Cur Deus homo* 1. 2. ; S. Thomam *Super Boet. de Trinitate* q. 2. a. 1. Vide *Kirchenlexicon,* l. c. p. 1909.

2. Evidens etiam ex historia dogmatis, et ex novis definitionibus in dies emergentibus, quibus authentice proponebatur fidei omnium quod antea aut implicite tantum credebatur, aut negari etiam sine haeresi poterat.

135. Confirmatur. 1. Cum non omnia sint aeque necessaria ad salutem, non debent simul omnia omnibus proponi, sed, pro singulorum captu, aliis datur tantum lac doctrinae, aliis cibus solidus; pro circumstantiis etiam alicujus veritatis diserta praedicatio fit necessaria vel utilis, quae antea non fuit, etc. Atque sic faciebant Apostoli, sic Patres : *1 Cor.* 2. 2, sq.; *Hebr.* 5. 11; 6. 1; *1 Thess.* 3. 10. — Irenaeus 1. 10. 3; Augustinus *in Joannem* tr. 98 passim, M. 35. 1880. Sic jam Christus cum Apostolis : Non potestis portare modo.

2. Cum veritas revelata vivat in mente fidelium, eorum professione manifestetur, non potest non fieri ut decursu temporis multa manifestentur et in lucem prodeant, quae antea non ita innotuissent.

N. B. — 3. Pulchre S. Thomas in re simili, 2. 2, q. 1, a. 7, potissimum ad 2 et ad 3. Sed locus S. Thomae non est directe de re nostra, et alius est apud eum sensus verborum *implicite, explicite.*

PROBATUR 3. — *Controversiae aliquando.*

136. 1. Neque hoc est contra promissiones Christi, et potius consonat rerum naturae, et utile est ad ipsam veritatis inquisitionem. Eo enim ipso quod nec omnia sunt clare in Scriptura, nec in fide explicita et catholica semper fuerunt, sequitur posse de iis oriri controversiam, si potissimum vel sententiae videantur novae, vel textus aliqui contrarii, vel usus aliquarum Ecclesiarum aut auctoritas aliquorum Patrum.

Atque ita videmus factum esse in quaestionibus de canone Scripturae, de B. Virginis conceptione, de rebaptizantibus, de natura gratiae sanctificantis, etc., — idque salva fide et Ecclesiae et etiam doctorum eorum qui errabant, re nondum eliquata. Cf. Vincent. Lirin. 11.

137. 2. Non tamen potest unquam ita praevalere falsa opinio ut dici possit eam fuisse aliquando Ecclesiae opinionem. Nam infallibile etiam est magisterium ordinarium et dispersum. Cf. E. 1536 ad f.

De facto autem, etsi mere critice aliquando fortasse evinci non potest semper fuisse eamdem Ecclesiae sententiam, nullum

factum afferri potest ubi, etiam critice, ostendatur errasse praecipuam Ecclesiae partem.

N. B. — Huc revocanda est ea distinctio, de qua jam diximus, triplicis stadii : pacificae possessionis per fidem implicitam, ortae controversiae, fidei explicitae. Franzelin, th. 23, IV, p. 290.

PROBATUR 4. — *Nunquam error, neque obscuratio veritatis.*

138. *a*) *Non falsus sensus de dogmate.* Ille sensus falsus esset error dogmaticus. Ergo, ut ad *b*). Aliter : Eatenus habetur dogma quatenus intelligitur enuntiabile dogmaticum. Ergo.

b) *Non error aut corruptio.* 1. Damnata est ut haeretica sententia Pistoriensium de ea re, E. 1364; cf. E. 1375. Ergo.

N. B. — Etsi sententia Pistoriensium non est de aliqua veritate particulari, sed de generali obscuratione veritatum, res tamen eodem redit, ob rationem eamdem.

2. Hujusmodi obscuratio opponitur Ecclesiae infallibilitati et indefectibilitati. Ergo.

SCHOLIA.

139. 1. Ergo etiam in veritatibus propter aliud revelatis, admissa distinctione stadii triplicis, de qua supra, non potest dari unquam consensus in falsum, item neque ullus actus supremae auctoritatis (*formaliter* sc.) *contra* verum. Etsi *oeconomice* potest Papa intervenire, v. g. ne quis *haereticam* vocet opinionem nondum damnatam, aut *de fide* opinionem inter catholicos controversam.

140. 2. Si quaeritur num Apostoli, num Patres, num primi Christiani melius ac plenius res fidei noverint et intellexerint quam nos novimus et intelligimus, non simplex est responsio. Certum est enim Apostolis, scientia infusa, intimam dogmatum rationem melius fuisse perspectam, ita scilicet ut *rei ipsius complexae et concretae*, prout vel fidei vel cultui proponitur, notitiam acceperint clariorem et pleniorem. S. Th. 2. 2, q. 1, a. 7, ad 4; q. 174, a. 6; 1 q. 94, a. 3; Franzelin, th. 23, scholion, p. 292; Newman, *Essay*, part. 2, ch. 5, sect. 4, n. 3,

p. 191-192; cf. Discours sur le développement du dogme, Oxford, 2 février 1843, n. 11, sq., in editione gallica, p. 275-276, 283-284[1]. Atque idem, proportione servata, dici aliquo modo de Patribus potest. Cf. P. de Régnon, l. c. p. 121-122; Scheeben, n. 341. Sed hoc intelligi debet de concreta et synthetica rei revelatae perceptione per aliquem quasi intuitum principiorum fidei, per aliquam quasi vitalem experientiam; nec probabile est vel formulas abstractas, vel dogmatum singulorum, prout singula et distincta sunt, reflexam et analyticam notitiam ita fuisse in promptu. Alia est enim cognitio illa directa, concreta, practica, dogmatum ac principiorum fidei ut in se sunt, alia cognitio reflexa, analytica et distinctiva, quae scientifica vel systematica dicitur; alia etiam ratio loquendi secundum priorem cognitionem, alia secundum posteriorem. Cogita discrimen inter eum qui videt hominem vivum et eum qui de eodem audit vel legit, etiam si descriptio sit accuratissima et verissima; inter eum qui ambulat in horto noto et eum qui flores ex eo collectos inspicit, ordinat; inter eum qui audit cantum, et eum qui notas musicas legit; etc. Etsi nulla ex his comparationibus rem plane exhibet. Cf. Fonsegrive, l. c. p. 47.

141. 3. Magna est analogia, non omnimoda paritas, inter habitudinem hanc cognitionis qualem habebant Apostoli ad cognitionem qualem habet theologus ex theologia sola, et habitudinem cognitionis mere speculativae dogmatis ad cognitionem *vivam* et *practicam* qualem habent sancti, qualem etiam habet qui *totus* Christianus est, intellectu, voluntate, vita. Nam, ut omittam eam esse plenitudinem veritatis dogmaticae ut nulla eam formula exhauriat vel adaequet, nulla analysis totam exprimat, plus inest, ex natura rei, in cognitione rei intrinsecus quodam modo in anima insidentis quam in cognitione rei extrinsecus apparentis. Cf. S. Th. 2. 2, q. 45, a. 2. Multa sunt de ea re in articulo P. Tyrrell, Month nov. 1899 (gallice in Annales de philos. chrét. mars 1900, cf. etiam

1. Haec eadem in Newman, *Le développement du dogme chrétien*, par H. Bremond, 1905 (Collection *La pensée chrétienne*), nisi quod ibi male indicantur numeri.

Revue du clergé, 1900, t. 22, p. 390, V. Duboisset (pseud.), *Théologie et piété*), et ea quidem, quod ad rei substantiam attinet, a theologis ad meditandam utilia, nisi quod quaedam exaggerate et quasi iniquo animo in theologos, aut etiam nimis exclusive, et quod facile est ea perperam intelligere iisque abuti. Quae incommoda non vitat, immo videtur ad errorem augere ejusdem *Lex orandi*.

THESIS 15.

1. Revelationis explicatio et evolutio non in eo consistit ut dogmatum sensus pro philosophiae placitis immutetur;
2. Sed in eo ut explicita aptioribus formulis circumscribantur et definiantur, implicita evolvantur et explicentur obscura aut ambigua declarentur, minus diserta instantius praedicentur, impugnata defendantur, disjuncta in unum corpus doctrinae componantur, res fidei analogiis et opere rationis illustrentur;
3. Quod fere fit pro humanis adjunctis per instrumenta humana.

Franzelin, th. 23 et 25, ceteri ut supra; P. de la Barre, potissimum p. 2, c. 2; Scheeben, n. 597, sq.; Vacant, t. 2, n. 839, sq. cf. t. 1, p. 130.

NOTIONES PRAEVIAE.

142. 1. Prima pars est contra Günther, et neotericos, qui fidei intelligentiam et definitionum dogmaticarum veritatem relativam et mutabilem faciunt, pro progressu sc. philosophiae, a qua omnis fidei cognitio repetenda sit; infallibilitatem vero magisterii in eo reponunt ut ea formula eligatur, quae, pro temporibus, placitis philosophiae respondeat. Cf. Franzelin, th. 25, II, 3°, p. 309; Vacant, locis superius allatis; Granderath, p. 94-5. Pars altera fere tota est a Vincentio Lirinensi expressa, qui hunc fidei progressum mirifice declarat, n .22, 23.

143. 2. Pulchrum hujus thesis exemplum habemus in dogmate de Immaculato B. Virginis Conceptu. Cf. Mgr Pie 8 déc. 1854; quo etiam refertur *L'Histoire d'un dogme*, Études, 5 déc. 1904. Quanquam in omnibus fere dogmatis aliqua evolutio et progressus cum in mente fidelium tum in Ecclesiae propositione

exsistit. Atque hinc fit ut vel ad fidei intellectionem tantae utililitatis sit historia dogmatum, qua ostendatur quomodo sit res a Deo revelata, quomodo ab initiis usque ad tempora nostra sit intellecta, proposita, explanata, defensa, etc.

144. 3. Ut aliud est esse per se notum *quoad se,* aliud *quoad nos,* ita etiam aliud est dogma quoad se, aliud dogma quoad nos. Aliquid non est dogma quoad nos nisi est propositum fidei totius Ecclesiae.

PROBATUR 1. — *Rejicitur progressus ad sensum Güntheri.*

145. Doctrina Güntheri damnata est in Vaticano, Constit. *Dei Filius* c. 4 et can. 3 ad c. 4, E. 1647 et 1665. Ratio est quia :

1. Pervertitur ordo inter rationem et fidem, idque multipliciter :

Munus *doctoris* totum transfertur a magistris authenticis ad philosophos;

Ratio fidei praeit, eamque sibi subjicit (veteres : *Crede ut intelligas ;* Güntherus contra : *Intellige ut credas* ;

Fidei objectum mutatur, nec sunt absolute et immutabiliter verae definitiones Ecclesiae, etc.

2. Pervertitur notio infallibilitatis, unitatis in doctrina semper et ubique eadem, etc.

PROBATUR 2. — *Describitur progressus dogmaticus.*

146. *a*) *Formulae et definitiones* hujusmodi sunt v. g. distinctiones de substantia et hypostasi, consubstantialis, θεοτόκος, transsubstantiatio, locutio ex cathedra, etc. Eodem referuntur professiones fidei, canones, anathemata, censurae, etc.

b) *Implicitum explicatur,* v. g. cum ex unitate personae in Christo evolvitur doctrina de idiomatum communicatione, cum ex eo quod in Christo est natura humana perfecta concluditur esse in eo voluntatem humanam, etc.; item cum definitur quod practice tenebatur, ut valor aut necessitas baptismi parvulorum, ut praesentia totius Christi sub utraque specie, etc.

N. B. — Haec explicatio (quantum ad syllogismos reduci potest) fit per syllogismum expositivum, si conclusio erat jam *formaliter* in praemissis (quo in casu veritas in alia implicita est ipsa revelata); fit per veram ratiocinationem, si conclusio non erat nisi *virtualiter* in praemissis (quae ratiocinatio, cum sit proprium opus theologi, dicitur conclusio theologica, quae proprie revelata non est). Quod ne ad errorem urgeas, intellige cum ea cautela de qua in *Histoire d'un dogme*, l. c. p. 629-630, ita scilicet ut aliud sit usus rationis ad eliciendam conclusionem ex praemissis, aliud ad inveniendum aliquod dogma ubi latebat, per convenientias, per analogias, etc.

c) Haec *declaratio* multiplex est :

De dubiis et controversiis decernitur, ut de canone Scripturae, contra Rebaptizantes, de Immaculato Conceptu B. Virginis, de infallibilitate Papae;

Ambigua explanantur, ut cum Concilium Tridentinum definivit cur et quo sensu S. Paulus concupiscentiam vocaverit peccatum;

Obscura et confusa planius exponuntur, ut cum ad unitatem naturae humanae explanandam definitur animam esse corporis formam, a qua corpus omnem vitam accipiat.

N. B. — Haec declaratio et explanatio saepe a notionibus philosophicis provenit, ut ad mysterium Trinitatis utiles sunt altae et lucidae notiones de natura, persona, relatione; ut ad Eucharistiam notiones de accidentibus, de quantitate, etc.

d) Lumen fidei alias in aliud intensius fertur : sic primo et secundo saeculo praedicanda fuit potissimum vera Christi humanitas, quarto Verbi consubstantialitas, quinto Christi divinitas, necessitas gratiae; tertio et quarto mundi bonitas, quinto peccatum originale, etc.; contra Judaeos fidei necessitas et gratuitas, contra Lutherum operum necessitas; sic in Deo Graeci potius spectarunt personas in recto, naturam in obliquo, Latini contra; sic Ecclesiae alii aliis temporibus aspectus potissimum eminuerunt, etc.

e) Fidem defendendo ac muniendo contra Paganos, Judaeos, haereticos, etc. videmus plurimum profecisse explicationem fidei.

Res clara est videnti Scholasticam, quae scientiam divinorum et ex principiis revelatis, et ex principiis rationis analogiisque humanis exstruxit.

N. B. — Hunc progressum prout sub intellectum cadit et secundum notas intellectuales descripsimus, non quia nihil aliud hic adsit, sed quia hoc est maxime objectum considerationis theologicae.

Quomodo vero res divinas non possimus nisi analogice et per respectum ad res sensibiles concipere, quomodo ii conceptus etsi non modo absoluto aliquid tamen absolute verum repraesentent, quomodo sit distinguendum inter id quod concipitur et modum concipiendi, quid intersit inter conceptum falsum et conceptum inadaequatum, quo sensu possit esse veritas vel falsitas in conceptu, quomodo se habeat conceptus ad rem et quomodo mens per enuntiabile rem attingat, quantum et quo sensu vel dogma vel formulae dogmaticae sint immutabiles, quantum et quo sensu dici possint mutabiles, quomodo formulis dogmaticis praeeat fere vel perceptio aliqua rei concreta vel tendentia aliqua vitalis, quomodo rem aliter fere quam per formulas abstractas revelatam vel apprehensam conetur mens per formulas sibi repraesentare et quasi ob oculos ponere, haec et similia cum longam explicationem requirunt, tum hoc loco magis supponi debent quam evolvi.

DECLARATUR 3. — *Progressus occasio et causae*[1].

147. Hujus progressus causa invisibilis est Spiritus sancti gratia; causa efficiens praecipua magisterium Ecclesiae, cujus est, ut vidimus, non modo munus testis, sed etiam munus interpretis et doctoris. Sed hic indicandae sunt causae secundariae et occasiones hujus progressus.

Porro inter eas praecipua sane est vel haeresis, vel opiniones falsae, vel theologorum controversiae. Cf. P. de Régnon, l. c. p. 123-124, 125-127; Prunier, p. 24 sq. Nota sunt verba Augustini *De dono perseverantiae* c. 20, n. 53, M. 45. 1026, *et De civitate Dei* l. 16, c. 2, n. 1, M. 477, apud Franzelin [2], th. 25, II, 2°, a, p. 304. Alia causa est progressus philosophiae et doctrinarum humanarum, idque ex duplici capite : quia mentes, quo melius sunt excultae, aptiores sunt ad elaborandum dogma, quia ipsa subsidia scientiarum faciunt ad intellectionem aut confirmationem veritatis divinae. Cf. Prunier, p. 42 sq. Alia revelationes, devotio et cultus : amor enim multum fecit ad theologiam Sacratissimi Cordis, ad marialem (quas partes habeat amor in ejus theologia qui Pater scholasticae dicitur, vide indicatum apud Vacant, Dict. de théologie, art. *Anselme*, t. 1, p. 1344).

1. Cf. Prunier, l. c., part. 2 et 3.

Plurimum in ea re fecerunt Patres, plurimum etiam Theologi; in causa Immaculatae Conceptionis praecipuae fuerunt partes fidelium (monachorum, etc.). Quid Deo sit in ea re, quid hominibus tribuendum, dicit Franzelin, l. c. p. 304 sq.

N. B. — De fide et ratione alibi dicetur. Cf. interim Vaticanum, Constit. *Dei Filius*, c. 4.

SCHOLIA.

148. 1. Cave dicas Ecclesiae fidem fuisse initio confusam, imperfectam, cum potius verum sit contrarium. Atque hoc sensu dicere potuit Newman in contione jam citata (*Discours sur le développement de la doctrine chrétienne*, gallice in THÉORIE DE LA CROYANCE RELIGIEUSE, Paris 1850) p. 264, 267 sq., 272, 275, 283 sq., fuisse quodammodo in mente Ecclesiae omnia dogmata quoad rem, non quoad modum profitendi. Cf. n. 140. Bene Perriot, apud Jaugey, p. 913 : « Il ne faut pas s'imaginer », etc. Cf. Scheeben, n. 603 sq.

149. 2. Bene dicit Lirinensis, l. c., esse, profectum fidei non permutationem, ut profectus sc. sit in eodem dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Quae verba, ut notum est, suscepit Vaticanum, E. 1647. Bene etiam comparatur cum hominis incremento a pueritia ad maturitatem, Vincent. Lirin. l. c.; item apta est comparatio evangelica ex grano sinapis, ex fermento. Admittitur scilicet ejusdem principii evolutio organica et quasi vitalis, non immutatio vel augmentum quod sit ab extrinseco; admittitur idem objectum in pleniore lumine collocari aut aliam ejus partem vel alium aspectum illustrari, non aliud substitui aut adjungi objectum. Paucis : « est potius profectus fidelis in fide quam fidei in fideli », ut dicit Albertus Magnus — apud Franzelin, l. c. II, 3°, p. 308.

150. 3. Hinc intelligitur discrimen esse inter explicationem dogmatis ab initio usque ad Apostolos et explicationem dogmatis ab Apostolis ad nos : illa fuit potius objectiva, per novarum veritatum revelationes, haec potius subjectiva per ejusdem veritatis revelatae explicatiorem conceptum. Qui conceptus etsi non respuit elementa extrinseca, res tamen concepta eadem est, et quidem ut concepta. — Cf. Franzelin, th. 26.

151. 4. Optima est comparatio progressus dogmatici cum progressu ceterarum scientiarum ut videas quid sit commune in utroque, quid differat. Porro hoc sane est commune quod nulla scientia suum objectum facit, sed supponit, neque mutatur objectum cum progressu scientiae; hoc etiam commune quod semel datum est objectum, etsi fortasse non statim attingitur quidquid est datum; hoc denique commune quod progressus est totus in *rei scientia*, in modo eam attingendi, in connexione eorum quae de rebus attinguntur vel inter se vel cum iis quae de alio objecto sciuntur : qui progressus fere fit non quatenus singuli omnia denuo inveniant, sed quatenus aliorum inventa servantur, perficiuntur, novis inventis augentur. Est autem discrimen etiam multiplex : Ecclesiae traditum est depositum non ut mundus disputationibus hominum, mere ut visibile extrinsecus, sed ut vivum in mentibus apostolorum et in conscientia sociali populi christiani; Ecclesiae adsistit Spiritus sanctus ne quid de deposito veritatis pereat, ne falsum irrepat, ne semel acquisita iterum revocentur in dubium; scientia dogmatis est aliquid essentialiter sociale, ut etiam ipsa veritas revelata bonum est sociale; non plane sic in scientiis humanis.

N. B. — 1. Vides non esse progressum dogmaticum hoc sensu quod ve novae veritates revelentur, neque hoc sensu quod aliquid decursu temporis veniat in fidem Ecclesiae quod nullo modo antea in ea fide fuisset, sed hoc sensu quod id distinctius percipiatur quod antea confuse tantum vel implicite esset cognitum, quod id expresse proponatur fidei quod antea non esset propositum, etc.

2. In comparatione progressus dogmatici cum progressu scientifico, modo unum genus scientiarum, modo alterum aptius est. Melius appellatur ad has scientias quarum *data sint fixa*, quarum *objectum* sit *obvium*, quae potius sint in ordinando, conceptus evolvendo, accuratius inspiciendo et describendo, quam proprie inveniendo nova; quanquam et sunt *nova* dogmata sensu jam dicto. De his et similibus multa apud P. de la Barre, v. g. p. 261 sq.; 181 sq.

152. 5. Bene etiam comparatur progressus dogmatis in tota Ecclesia cum progressu cognitionis religiosae in eo qui puer et symbolum et catechismum didicit. Dum autem crescit, dum meditatur et discit, dum fit theologus et vivit vitam christianam, eadem aliter et melius in dies intelligit. Multa utrinque

similia, dissimilia quaedam. — Typum Ecclesiae in ea re et exemplar Christianorum esse. B. Virginem, quae « conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo », jam adverterat Newman, *Discours d'Oxford*, 2 févr. 1843, initio.

153. 6. Saepe affinguntur multa progressui dogmatico quae magis ad progressum theologiae referuntur. Porro hoc interest inter utrumque quod veritati dogmaticae qua tali nihil accrescit, nihil ab extrinseco additur [1], sed eadem veritas lumine extrinsecus petito illustratur; veritatis autem theologicae progressus fit etiam per assimilationem elementi extrinseci et augmentum verum.

154. 7. Parum logice (ut hoc unum dicam) ii agunt etiam Catholici, qui progressum scientificum in ceteris strenue promovent, in re dogmatica sinistre intuentur, novas definitiones horrescunt, opus theologorum elevant, res eo loco jam non esse conqueruntur quo erant ante Ecclesiae definitiones, ante theologorum « inventa », ante Concilia etiam et eos Patres qui *theologice* laboraverunt. Cf. articulum D. Vacant, Revue du clergé 1900, t. 22, p. 568 sq.

ARTICULUS 2.

De charactere et condicionibus progressus legitimi in re dogmatica secundum Newman.

155. Newman, assumpto *hoc facto* quod Ecclesia romana continuatur cum prisca Ecclesia, cum videat tamen in multis differre utramque, idque catholicis vitio verti per Anglicanos quasi esset contra canonem Vincentianum, ipse autem perpiciat in Anglicanos posse retorqueri, quippe qui et ipsi evolutionem in Ecclesia primitiva de facto admittant, concludit inquirendum esse de evolutione doctrinali, inquirendo perspicit hoc discrimen apte explicari per theoriam vel hypothesim evolutionis dogmaticae, et librum suum de ea re scribit. Cf. *Introduction,* n. 21, p. 29 sq.

1. In hunc sensum bene P. Tyrrell, articulo citato *semper eadem.*

156. Liber dividitur in duas partes, quarum altera evolutionem doctrinalem *ipsam* considerat, altera eamdem *comparative* respicit conferendo evolutionem cum corruptione et condiciones evolutionis legitimae inquirendo.

157. In parte 1 quatuor sunt capita, quorum primum in genere est de evolutione in ideis, alterum quasi a priori quaerit de evolutione in christiana doctrina, tertium factum ipsum evolutionis historice et a posteriori, sed in genere tantum, quartum casus quosdam speciales considerat.

158. Caput primum duas habet sectiones, quarum altera est quid sit evolutio in *ideis,* altera varias species hujusmodi evolutionis enumerat.

Ad 1), hoc advertendum est nomen hoc *ideae* ab eo usurpari sensu valde complexo, et illam quidem non logice et quasi in abstracto spectari sed potius concrete et psychologice, idque vel ut totum aliquod significet ex multis constans, ut cum dicimus *l'idée chrétienne,* vel magis definite de una aliqua parte, quae et ipsa rationem totius respectu aliarum particularum possit habere; advertendum quoque — quod ex dictis sequitur — et res et ideas, vel ideas subjective et objective, hoc eodem nomine comprehendi, ita tamen ut semper importet aliquid reale vivum in mente.

Ad 2). haec nota : *a*) nomen evolutionis vel de processu vel de effectu intelligitur; item aliquando de evolutione legitima, aliquando de omni evolutione ad quam etiam pertinet corruptio; *b*) ad comparandam rectam evolutionis notitiam, utile est videre varios hujus nominis usus in rebus politicis, ethicis, historicis, metaphysicis, et quid logice ferat pro rebus evolutio.

159. Caput 2 tres habet sectiones : 1) Expectandam esse evolutionem in re dogmatica; 2) Expectandam infallibilem auctoritatem ad moderandam et discernendam evolutionem; 3) Probabile esse (a priori) eas quas videmus evolutiones doctrinae (in Ecclesia romana) eum ipsum effectum esse qui erat exspectandus.

160. Caput 3 et 4. De factis historicis respectu hujus evolutionis : A) *In genere :*

1. His datis a priori et dato quod systema catholicum, idque solum, ut unum totum apparet et continuum ad prima usque saecula, quomodo debemus respicere ea quae in eo systemate nova apparent? Nonne debemus proni esse ad ea accipienda ut legitima, nonne debemus vinculum continuitatis quaerere, lumen ab uno facto in aliud projicere, analogiis uti, etc.? An potius ad omnem novitatis speciem corruptionem clamare?

2. Ejusmodi argumentis in ea re utendum est quae fert natura rei ipsius, non aliis, sicut alterius generis est argumentum mathematicum, alterius rhetoricum.

B) Hinc *in specie,* secundum haec principia ad crisim revocantur facta quaedam particularia, quae inepte rejicerentur vi axiomatis *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus,* cum contra vi altioris principii concludendum esset in iis etiam valere axioma. Facta autem hujusmodi :

1) Obiter indicantur : quaestio de canone Scripturae; — de peccato originali; — de baptismo parvulorum; — de communione sub una specie; — de *consubstantiali;*

2) Latius tractantur ea quae spectant Christi incarnationem, dignitatem Mariae, dignitatem sanctorum, et speciatim ea quae spectant primatum Romani Pontificis.

In quibus omnibus eadem deprehenditur ratio progressus et quasi cursus doctrinae in stadiis sequentibus saeculisque posterioribus, qui jam initio obtinebat; unde fit ut non logice ii agant qui progressum hunc in primis saeculis admittant, in posterioribus respuant.

161. Pars *altera* (c. 5-12) diligentius naturam ipsam evolutionis rimatur et inquirit in condiciones quibus verus progressus a falso discernitur. Quae pars iterum duplex est, altera de notis veri progressus (c. 5), altera applicatio notarum ad facta (c. 6-12).

162. Notae veri progressus in evolutione ideae hae septem indicari possunt :

1. Typi ejusdem conservatio : cogita parvulum eumdemque adultum (ut est typus Ecclesiae catholicae).

2. In principiis iisdem constantia : v. g. in principio dogmatico, in principio auctoritatis, religionis socialis.

3. Potentia assimilationis et accommodationis, qualem habet principium vitae : ut si dogma sibi assimilet philosophiam graecam eique se accommodet, idem manens : ut si cultus sibi assimilet ritus vel paganos, faciendo christianos.

4. Consequentia logica, ut a Luthero in Pietistas aut in Rationalismum ; ut si Papatus sequatur ex principio auctoritatis et ex privilegiis Petri.

5. Anticipatio eorum quae futura sunt, in dictis quibusdam aut in praxi antiquitatis, ut Papatus a primis saeculis.

6. Vis eorum quae adduntur ad conservanda ea quae jam tenebantur (ut si cultus Virginis Christum illustret potius quam obscuret).

7. Duratio vivax, corruptio enim est in instabili.

163. Porro nulla est in catholico systemate apparens evolutio quae huc referri non possit. Atque id probatur examine eorum factorum quae ab anglicanis ad Romanensium corruptiones fere referuntur prout sub aliquam ex dictis notis cadunt.

N. B. — Breve compendium hujus libri habet Perreyve, *Entretiens sur l'Église*, c. 3, n. 6 ; item fere Loisy sub nomine Firmin, admixtis fortasse paucis de suo, in Revue du clergé, 1er décembre 1899, p. 5 sq.

CAPUT IV.

DE SCIENTIA FIDEI ET THEOLOGIA.

164. Quaestio haec longam tractationem postularet, quam neque huc appendere licet nec requirit omnino nostrum argumentum. Ea autem quae ad rem nostram propius accedebant jam attigimus in superioribus capitibus. Unde fit ut pauca hic dicenda sint, per modum indiculi.

165. De rebus quae sunt hujus loci solent fere theologi tractare vel initio cursuum suorum, vel initio tractatus de Deo, vel ubi agunt de fide. Praecipua mentione digni sunt, inter multos (cf. etiam bibliographica ad th. 11) :

1. S. Thomas, 1, q. 1; *Contra gentes,* initio libri 1 et libri 4; *In Boeth. de Trinitate.*

2. Henricus Gandavensis in quaestionibus praeambulis (fuse et splendide).

3. Petavius in *Prolegomenis,* nisi quod aliquanto iniquius exagitat scholasticos.

4. Kleutgen, *Die Theologie der Vorzeit,* t. III passim (egregie).

5. Schrader, *De theologia generatim,* Poitiers, 1874.

6. P. Hilaire, *Theologia universalis,* t. I, Paris, 1868.

7. Knoll a Bulsano, *Institutiones theologiae generalis,* édit. 3ª, Turin, 1863.

8. J. B. Aubry, *Quelques idées sur la théorie catholique des sciences,* Paris, 1894 (sed multa minus recte).

9. Articuli non pauci de re theologica in Kirchenlexicon ², verbo *Theologie, Scholastik;* etiam in *Dictionnaire de philosophie et de théologie scolastiques,* par Morin (collections Migne); etiam in periodicis catholicis v. g. Vacant, in *Revue du clergé,* 1900, t. 22, p. 561; L. de Grandmaison, in

Études, 1898, t. 74, p. 26; alia non pauca passim post Epistolam Papae ad clerum Gallicanum, 18 septembre 1899; cf. etiam A. de la Barre, in *Revue de l'Institut cath.*, 1894; Gardeil, series articulorum sub communi titulo : *La réforme de la théologie scolastique, Revue thomiste,* 1903 et 1904.

10. Freppel, *Discours sur la théologie,* Angers, 8 décembre 1879; Mgr Douais, *De l'activité théologique, Revue de l'Inst. cath.*, juillet 1904, p. 289.

11. Inter auctores jam citatos praecipuum locum obtinent Scheeben, t. 1, Introduction et § 47 sq.; Didiot, *Logique subjective,* passim; A. de la Barre, l. c.; Kihn, l. c. § 5-16, et passim; Bellamy, l. c. cum alibi tum c. 8; Denzinger, *Die religiöse Erkenntniss*, 1856-7: Bernoulli, *Die wissenschaftliche und die kirchliche Methode der Theologie,* Fribourg, 1897; Hettinger, *Timotheus,* Fribourg-en-Brisgau, 1891; Kraus, *Ueber das Studium der Theologie sonst und jetzt,* 2ª editio, Friburgi, 1890.

N. B. — Documenta ecclesiastica de ea re jam indicavimus. Hic satis est in memoriam revocare Encyclicam *Æterni Patris,* et Epistolam Leonis XIII de qua supra.

166. Huc duae potissimum referuntur quaestiones : altera de usu rationis in rebus fidei et de mutuo rationis et fidei inter se subsidio, altera magis proprie de scientia fidei.

Prior potest respicere usum rationis vel inducentis ad fidem, vel comitantis fidem, vel tentantis intelligere quod credit; potest etiam respicere mutuam habitudinem fidei et rationis inter se. Haec omnia breviter sed dilucide constitutio *Dei Filius;* cf. etiam Perrone, *De locis theologicis,* parte 3; Franzelin, *De tradit.* in Appendice; Pie, *Synodales sur les principales erreurs,* etc., passim; *Concilium coloniense,* 1860 (apud Gaudeau, *Libellus fidei,* n. 569 sq.). — De iis nihil est quod addamus. De altera paucis assertis.

167. 1. Praeter eam intellectionem quae in omni actu fidei imbibitur, datur altior et magis methodica cognitio rerum divinarum, quae theologia dicitur.

168. 2. Theologia est veri nominis scientia ac scientifice procedit, neque huic characteri obest quod principia revelata

sine intrinseca eorum evidentia admittit, quod regi se auctoritate Ecclesiae ac magisterio sinit, quod res divinas non attingit nisi conceptibus analogicis.

169. 3. Theologia proprie dicta tota est ab lumine fidei et pro principiis habet articulos; ejus munus est articulos scrutari, colligere, inter se comparare, in unum systema connectere, novasque ex eis conclusiones elicere, analogiis vel fidei vel humanis illustrare, convenientias ostendere, conceptus definire et expolire qui in articulis imbibuntur (sive hos conceptus potest habere proprios, sive ex analogiis rerum humanarum debet haurire), veritatem fidei defendere.

170. 4. Theologiae multum prosunt scientiae humanae multae, ut historia, ut philosophia; prosunt item scientiae subsidiariae, ut dialectica, ut critica, ut hermeneutica.

Praecipuam adjutricem potest habere philosophiam. Connexio autem theologiae cum philosophia scholastica ita arta est ex natura rei, quoad substantialia scilicet, ut indissolubilis videatur.

Cum dicitur ancillam esse theologiae philosophiam, non ita hoc dicitur ut negetur philosophiae in suo ordine principatus et autonomia, sed magis ut indicetur quantum possit juvare theologiam, in suo sc. ordine : quod ei in honorem magis quam in detrimentum cedit.

171. 5. Divisio theologiae in positivam et scholasticam, etsi potest esse utilis practice, non tamen ita urgenda est ut separari utraque possit. Minus autem probari potest divisio in scholasticam et criticam, quippe quae falsum conceptum importet. Scholastica est fides quaerens intellectum.

172. 6. Theologia, etsi necessario est suo objecto inferior, et ita quidem ut neque mysteria in se attingere, neque eorum existentiam demonstrare possit, est tamen scientia omnium altissima, et humanae menti valde consentanea. Quin etiam, etsi, ut scientia, tota est et necessario intellectualis, multum tamen etiam ad pietatem et vitam christianam confert, ut multum luminis ex pietate et vita christiana capit.

173. 7. Theologia, ut scientia fidei, moraliter necessaria est Ecclesiae, non autem singulis christianis, saltem directe.

174. 8. Cum omnis scientia socialiter fit, et a traditione dependet, tum maxime theologia, quippe quae, ut scientia depositi, tota dependeat ab intelligentia et conscientia fidei in Ecclesia, tota sit sub moderatione Ecclesiae; hinc etiam locus auctoritatis in Theologia summus est.

175. 9. Theologia et objecto et lumine ordinem supernaturalem prope contingit; quin etiam sunt qui formaliter supernaturalem esse contendant. Hoc certum est et cum fide et cum sensu catholico esse intime connexam. Unde deduces qualem et mente et indole voluntatis deceat esse theologum.

176. 10. Systemata theologica, quae dicuntur, sunt fere ut hypotheses in scientiis. Unde inferes non esse proprie scientiam, sed juvari inde scientiam et ad ordinandos conceptus, et ad multiplices rerum adspectus agnoscendos, et ad vim et valorem principiorum intimius scrutandum. Hanc utilitatem facta ostendunt.

CONCLUSIO.

177. « Crescat igitur et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae aetatum ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia. »

L.
J. C. — M. I.

INDEX RERUM

Pagina.

PRAEFATIO v

PRAEAMBULA

1. De re tractanda. — 2. Locus hujus tractatus in theologia et connexio cum ceteris rebus. — 3. Documenta praecipua. — 4. Auctores. — 5. Brevis historia tractatus. — 6. Quanti momenti sit tractatus. — 7. Ratio et divisio tractationis. — 8. Summa doctrinae catholicae contra Protestantes in ea re 1

PARS PRIMA

DE MAGISTERIO VIVO ET DE TRADITIONIBUS

CAPUT I. — NOTIONES ET DEFINITIONES.

9. *De traditionis* notione, divisione, auctoritate, agnitione 11
10. De regula fidei et de auctoritate sociali in re religiosa 14
11. De judice controversiarum et de interprete Scripturae 15
12. Conclusio et introductio ad sequentia 15

CAPUT II. — DE DIVINA MAGISTERII VIVI INSTITUTIONE

13. Methodica 17

Propositio 1. — Institutio magisterii authentici probatur ex Scriptura et Patribus .....

14. Declarationes praeviae. — 15. Argumenta 18
16. *Scholia.* 1. Non est circulus in nostra demonstratione. — 2. Non ex eo quod Episcopi sunt successores apostolorum sequitur eos esse infallibiles singulos. — 3. Ex eo quod est magisterium vivum, non sequitur Scripturam non esse regulam fidei. — 4. Non probamus tantum esse *aliquod* magisterium, sed ejusmodi esse quod auctoritatem habeat, et quidem ordinariam 21

Pagina.

Propositio 2. — Removetur objectio contra thesim 1, quae fit ex scriptione librorum N. T. et confirmatur argumentum ex origine et indole horum librorum..... 22
17. Status quaestionis. — 18. Argumenta ex variis fontibus. — 19. Directa..... 22
Propositio 3. — Magisterii hujus necessitas probatur quasi a priori. 24
20. Declarationes. — 1. Assumimus hoc : Deus voluit omnium unam fidem. — 2-4. De modo procedendi et natura argumenti..... 25
21. Argumentum ex natura rei.
22. *Scholia.* Ad removendam hanc objectionem non procurari eam unitatem etiam in hypothesi catholica; — quam conveniens sit haec oeconomia, — quam sufficiens omnibus..... 27
23. Argumentum ex historia Protestantismi..... 28
24. *Scholia.* — 1. De locis Scripturae qui a Protestantibus afferuntur. — 2. Non corrumpi necessario quod ore tradatur, si provisa sint media apta, ut sunt. — 3. Distinctio inter auctoritatem *historicam* magisterii et *authenticam*, etiam primis sæculis. — 4. Auctoritas Patrum et Episcoporum non est meri testimonii. — 5. Controversia Bossueti cum Claude. — 6. Quo sensu possit dici necessarium esse lapsum a Protestantismo in Rationalismum. — 7. In scepticismum..... 29

CAPUT III. — DE TRADITIONUM DIVINARUM EXISTENTIA

25. Notiones. — 1. Quaestio inter Catholicos et Protestantes. Inter Patres et haereticos. — 2. Quid sit revelatum formaliter, quid virtualiter. — 3. Controversia saeculo XVI°. — 4. Praecipuum est *aliter* esse transmissam revelationem quam scripto..... 34
Propositio 4. — Sunt traditiones divinae non scriptae, quod nequeunt logice negare Protestantes.....
26. Declarationes praeviae de statu quaestionis..... 36
27-28. Argumenta. — 29. Scholion ad solvendas difficultates..... 37

CAPUT IV. — RELECTIO ET CONSECTARIA

Articulus 1. — De notione traditionis et exercitio magisterii..... 39
30. Quid sit proprie traditio. — 31. De exercitio magisterii..... 39
32. De elementis humanis in traditione doctrinae revelatae et de tractatione scientifica dogmatis..... 41
Articulus 2. — Quomodo habeant inter se magisterium et Scriptura. 42
33-35. **Propositio 5.** — Quo sensu sufficiat vel non sufficiat Scriptura..... 42
36-38. **Propositio 6.** — Comparatio multiplex inter Scripturam et magisterium : ita esse praecipuas partes magisterii ut Scriptura sit ejus instrumentum et norma..... 44
39. *Scholia.* Quo sensu Scriptura sit magisterii; variae regulae fidei; — doctrina de interpretatione Scripturarum secundum praedicationem ecclesiasticam et analogiam fidei..... 47

PARS ALTERA

DE TRADITIONIS ORGANIS, FONTIBUS, CRITERIIS

CAPUT I. — PRAEAMBULA ET NOTIONES GENERALIORES

Pagina.

10. De objecto hujus partis; — 41. De locis theologicis. — 42. De proprio scopo hujus partis ac ratione tractandi..... 51

CAPUT II. — DE TRADITIONIS ORGANIS, FONTIBUS, CRITERIIS *IN GENERE*

Propositio 7. Omnia ita reducuntur ad Ecclesiae magisterium, ut Ecclesia possit dici aliquo sensu unicus locus theologicus.... 56
43. Status quaestionis. — 44. *Probatio*. — 45. Via scientifica eodem adeundi; formula: Credo quidquid docet Ecclesia..... 56
46-48. **Propositio 8**. — Monumenta sunt subsidium magisterii; eorum valor..... 58
49. *Scholia* de interpretatione et variis generibus monumentorum. 60
Propositio 9. Ubi constitit aliquid aliquando fuisse in fide Ecclesiae, res est revelata; hoc autem et directe et indirecte constare potest..... 60
50. Media *practica* dignoscendi utrum aliquid sit revelatum. — 51. Fundamenta thesis..... 61
52. *Scholia*. Criterium theologicum et criterium historicum. — De variis stadiis in fide. — De erroribus ante definitiones..... 62
53. Quomodo constet directe de magisterio, quomodo indirecte... 63
54-55. De argumento praescriptionis, vel possessionis..... 64
56. De canone Vincentiano..... 65
57. De magisterio disperso, et de magistris *in consensu*..... 66
58. De munere *testis* et *doctoris*. — 59. De doctore *authentico* et *privato*..... 68
60. De objecto magisterii..... 69

CAPUT III. — DE ORGANIS, FONTIBUS, CRITERIIS *IN SPECIE*

Propositio 10. — De auctoritate Patrum. — 61. Quis sit Pater, quis doctor, et declarationes praeviae. — 62-65 Probatio..... 71
66. *Scholia*. In judicio de Patribus ferendo duplex periculum..... 76
67-76. Practica de auctoritate Patrum, de eorum usu et interpretatione, de argumento theologico ex Patribus, de patristica et scholastica..... 77
Propositio 11. — De auctoritate Theologorum (n. 77-85)..... 82
Scholia practica, de usu philosophiae, de scholastica, etc. (n. 86-90)... 89
Appendix de auctoritate S. Thomae. — 91..... 92
Propositio 12. — De consensu fidelium et sensu catholico. 92-93.. 94
Scholia varia, v. g. de habitudine inter magistros et fideles, et de partibus fidelium in definiendis veritatibus dogmaticis; de modo dignoscendi hunc sensum fidelium; de sensu catholico. 94.... 96

Pagina.
95-99. Nota de reliquis locis theologicis..... 100
100. Summa et conclusio..... 101

CAPUT IV. — DECLARATIONES ET COMPLEMENTA.

101. De magisterio ordinario..... 103
102. De magisterii ambitu..... 105
103. De obligatione assentiendi..... 106
104. De auctoritate *Syllabi*..... 107
105. De censuris et reprobatione doctrinae perniciosae..... 108
106. De factis dogmaticis..... 112
107. De doctrina implicita in practicis. Principia; varii casus : Paparum decreta quam prudenter aut firmiter; quaestio de ordaliis, de matrimoniis, de cœlibatu clericorum, de usura, de sanctorum insertione in martyrologium, de cultu locali, de beatificatione et canonizatione, de cultu imposito, permisso, de auctoritate historica martyrologii, legendarum breviarii, de approbatione apparitionum, revelationum, reliquiarum, etc. 113
108. De habitudine Ecclesiae discentis ad docentem..... 116

PARS TERTIA

DE EVOLUTIONE DOGMATIS ET PROGRESSU FIDEI

CAPUT I. — PRAEAMBULA ET NOTIONES GENERALIORES

109. Libri et documenta. — 110. Argumentum et ratio tranctandi. 117
111. Opiniones acatholicae : Günther, Harnack, Sabatier..... 121
112-114. Opiniones catholicorum..... 123

CAPUT II. — DE DEPOSITI FORMATIONE, ET STABILITATE PRAESENTIS OECONOMIAE

Articulus 1. — De depositi perfectione et duratione praesentis oeconomiae.....
Propositio 13. — Praesens oeconomia perpetua; non fiunt novae revelationes (n. 115-119)..... 125
Scholia. 120. De novo millenarismo. — 121. De revelationibus privatis. 122. Differre assistentiam a revelatione aut inspiratione..... 128
Articulus 2. — De formatione depositi et progressu revelationis objectivo..... 130
123. Libri. — 124. Phases variae revelationis. — 125. De progressu revelationis objectivo. — 126. De distinctione rerum revelatarum..... 130

CAPUT III. — DE PROGRESSU FIDEI ET EVOLUTIONE DOGMATIS

Articulus 1. — Principia generalia..... 133
Propositio 14. — Tota revelatio semper in fide Ecclesiae, non sine aliquo progressu, nec sine controversia, sed sine falsitate aut obscuratione (n. 127-138)..... 133

Pagina.

Scholia. 139. Nunquam consensus in falsum, neque definitio contra verum. — 140. De cognitione dogmatis penes Apostolos comparata cum nostra. — 141. De cognitione viva et practica per comparationem ad speculativam et theologicam..... 138

Propositio 15. — Describitur evolutio dogmatis : quid non sit, quid sit, quomodo fiat (n. 142-147)..... 140

Scholia. 148. Fuisse in mente Ecclesiae ab initio dogmata quoad rem. — 149. Progressus vitalis et profectus fidelis in fide. — 150. Alia evolutio dogmatis usque ad Apostolos, alia ab Apostolis ad nos. — 151. Comparatio progressus dogmatici cum progressu scientifico. — 152. Vita dogmatis in mente alicujus Christiani, in conscientia Ecclesiae, in mente B. Virginis. — 153. Alius progressus *dogmaticus*, alius *theologicus*. — 154. Parum logice laudari progressum scientificum, respui dogmaticum et theologicum..... 144

Articulus 2. — Theoria progressus secundum Newman..... 146

Analysis libri de ea re per eum conscripti (n. 155-163)..... 146

Caput IV. — DE SCIENTIA FIDEI ET THEOLOGIA

164. Quid hic sit agendum. — 165. Libri et documenta..... 150

166. Quaestio de fide et ratione..... 151

168-176. Asserta de scientia fidei et theologia. — 1. Duplex cognitio rerum divinarum : per fidem simplicem, per theologiam. — 2. Theologia veri nominis scientia. — 3. Principia et munus hujus scientiae. — 4. Scientiae auxiliares, et quo sensu sit philosophia theologiae ancilla. — 5. De divisione theologiae in positivam et scholasticam, in scholasticam et criticam. Quid sit scholastica. — 6. Theologia quid non possit, quid possit, et de ejus habitudine ad vitam christianam. — 7. Theologia necessaria Ecclesiae non singulis. — 8. Theologiae indoles traditionalis, socialis, auctoritatis amans. — 9. De habitudine theologiae ad fidem et ad sensum catholicum. Qualis debeat esse theologus. — 10. Systemata theologica : quid sint, quantum prosint..... 151

CONCLUSIO

177. Verba Vaticani de profectu fidei et scientia dogmatis..... 153

216
B161

3395

AUTHOR BANVEL, J.V.

TITLE De Magisterio Vivo et Traditione

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	J. O.	

3395